



John Adams Library.

IN THE CUSTODY OF THE
BOSTON PUBLIC LIBRARY.



SHELF N^o.


ADAMS

144.2

v.6



2-8





C. CORNELII
TACITI
O P E R A.

TOMUS SEXTUS.

JOURNAL OF
LITERATURE
AND ART

THE AMERICAN JOURNAL OF

C. CORNELI
TACITI
OPERA
SUPPLEMENTIS,
NOTIS ET DISSERTATIONIBUS
ILLUSTRAVIT
GABRIEL BROTIER.

TOMUS SEXTUS.



PARISIIS,
Ex Typographia L. F. DELATOUR,
viâ San-Jacobeâ.

M. DCC. LXXVI.
Cum Approbatione & Privilegio Regis.


Adams

1912-1913
1913-1914
1914-1915
1915-1916
1916-1917
1917-1918

6

C. CORNELIUS
TACITUS
DE MORIBUS GERMANORUM:
DE VITA AGRICOLÆ.
DIALOGUS DE ORATORIBUS.

ACCESSIT
SUPPLEMENTUM DIALOGI
DE ORATORIBUS.



B R E V I A R I U M
L I B E L L I
D E S I T U , M O R I B U S ,
E T P O P U L I S G E R M A N I A E .

I. *G E R M A N I A E* situs. II. *Incolæ.*
Nominis origo. III. *Carmina, barditus: varieque antiquitates.* IV.
Corporum habitus. V. *Soli natura.*
VI. *Germanorum arma.* VII. *Reges, duces, sacerdotes.* VIII. *Feminarum constantia & veneratio.* IX. *Dii, Mercurius, Hercules, Mars, Isis.*
Simulacra nulla. X. *Auspicia, sortes: ex equis, e captivis præfagia.*
XI. *Consultationes publicæ & conventus.* XII. *Pœnæ. Jus.* XIII. *Scutum, framea juvenibus data.* Principum comites: eorum virtus & fama.

XIV. Gentis bellica studia. XV. Pacis artes, venatio & otium. Collata principibus munera. XVI. Vicorum domorumque forma. Specus, suffugium hiemi, & receptaculum frugibus. XVII. Hominum, feminarumque vestitus. XVIII. Severa matrimonia. Dos a marito data. XIX. Adulterii pœna, maritis permissa. XX. Liberorum educatio. Successionis leges. XXI. Patris, propinqui amicitiæ inimicitiæque suscepτæ. Homicidiorum pretia. Hospitalitas. XXII. Vičus: ebrietas: rixæ: in conviviis consultationes. XXIII. Potus, cibi. XXIV. Juventæ ludicrum. Aleæ furor. XXV. Servi, libertini. XXVI. Agrorum cultus & partitio. Anni tempora. XXVII. Funera. Hæc hačenus in commune. XXVIII. Singularum gentium instituta. Galli, olim validi,

5

in Germaniam transgressi. Helvetii, Boii, Gallica gens. Avarisorum, Osorum incertum genus. Treveri, Nervii, Germanicæ originis populi, ut & Vangiones, Triboci, Nemetes, Ubii. **XXIX.** *Batavi, Cattorum proles. Mattiacorum gens. Decumates agri.* **XXX.** *Catti, militari disciplinâ præcipui.* **XXXII.** *Uspii, Tendteri, equitatu præstantes.* **XXXIII.** *Bructerorum sedes a Chamavis & Angrivariis occupatæ.* **XXXIV.** *Dulgibini. Chasuari. Frisi* *majores & minores.* **XXXV.** *Chauci,* *pacis studiosi.* **XXXVI.** *Cherusci & Fosi, a Cattis* viði.* **XXXVII.** *Cimbrorum parva civitas, gloria in-* *gens.* **XXXVIII.** *Suevorum mores.* **XXXIX.** *Semnonum religio.* **XL.** *Langobardi. Reudigni. Aviones.* *Angli. Varini. Eudoses. Suardones.* *Nuithones. Herthi, seu Terræ matris,*


commune sacrum. **XLI.** *Hermunduri.*
XLII. *Narisci. Marcomanni. Quadi.*
XLIII. *Marsigni. Gothini. Osti. Bur-*
rii. Lygiorum civitates. Arii. Hel-
yecones. Manimi. Elysi. Naharvali.
Alcis numen. Gothones. **XLIV.**
Suionum civitates. **XLV.** *Mare pi-*
grum. Æstii succinum legunt. Sito-
nes, quibus femina imperat. **XLVI.**
Peucini. Venedi. Fenni. Eorum feri-
tas & paupertas. Hominum monstra.
Hellusii, Oxiones.

Libellum hunc scripsit Tacitus

A.U.C. J.C.

DCCLII. 98. Coss. { **M. COCCEIO Nervâ Aug. IV,**
M. ULPPIO Trajano Cæfare II.





C. CORNELII
TACITI
 DE SITU, MORIBUS,
 ET POPULIS GERMANIAE
 LIBELLUS.

GERMANIA omnis a Gallis Rætisque & Pannoniis, Reno & Danubio fluminibus, a Sarmatis Dacisque, mutuo metu, aut montibus separatur. Cetera Oceanus ambit, latos sinus, & insularum immensa spatia complectens, nuper cognitis quibusdam gentibus, ac regibus, quos bellum aperuit. Rhenus, Ræticarum

Alpium inaccesso ac præcipiti vertice ortus, modico flexu, in Occidentem versus, septentrionali Oceano miscetur. Danubius, molli & clementer edito montis Abnobæ jugo effusus, plures populos adit; donec in Ponticum mare sex meatibus erumpat: septimum enim os paludibus hauritur.

II. I P S O S Germanos indigenas crediderim, minimèque aliarum gentium adventibus & hospitiis mixtos: quia nec terrâ olim, sed classibus advehabantur, qui mutare sedes quærebant; & immensus ultrà, utque sic dixerim, adversus Oceanus raris ab orbe nostro navibus aditur. Quis porrò, præter periculum horridi & ignoti maris, Asiā, aut Africā, aut Italiā relictā, Germaniam peteret? informem terris, asperam cælo, tristem cultu aspectuque, nisi si patria sit. Celebrant carminibus antiquis (quod unum apud illos memoriae & annalium genus est) « Tuistonem deum, terrâ editum, & filium Mannum, originem gentis conditoresque. Manno tres filios adsignant, eorum nominibus proximi Oceano Ingævones, medii Hermiones, ceteri Istævones vocentur». Quidam autem, licentiâ vetustatis, « plures deo ortos,

» pluresque gentis appellationes, Marsos,
 » Gambrivios, Suevos, Vandaliros » ad-
 firmant: « eaque vera & antiqua nomina.
 » Ceterum Germaniae vocabulum recens,
 » & nuper additum: quoniam, qui primi
 » Rhenum transgressi Gallos expulerint,
 » ac nunc Tungri, tunc Germani vocati
 » sint: ita nationis nomen, non gentis,
 » evaluuisse paullatim, ut omnes, primum
 » a victore, ob metum, mox a seipsis
 » invento nomine, *Germani* vocarentur ».
 « Fuisse apud eos & Herculem » memo-
 rant; primumque omnium virorum for-
 tium ituri in prælia canunt.

III. SUNT illis hæc quoque carmina;
 quorum relatu, quem *Barditum* vocant,
 accendunt animos, futuræque pugnæ for-
 tunam ipso cantu augurantur: terrent
 enim, trepidantve, prout sonuit acies.
 Nec tam voces illæ, quam virtutis con-
 centus, videntur: affectatur præcipue
 asperitas soni, & fractum murmur, ob-
 jectis ad os scutis, quod plenior & gravior
 vox repercuſſu intumescat. Ceterum &
 « Ulixem » quidam opinantur, « longo
 » illo & fabuloſo errore in hunc Oceanum
 » delatum, adiſſe Germaniae terras, Af-
 » ciburgiumque, quod, in ripâ Rheni
 » situm, hodieque incolitur, ab illo conf-

10 C. CORNELII TACITI

stitutum, nominatumque ΑΣΚΙΠΥΡΓΙΟΝ
»Aram quinetiam Ulixī consecratam,
»adjecto Laertæ patris nomine, eodem
»loco, olim repertam: monumentaque,
»& tumulos quosdam, Græcis literis ins-
»criptos, in confinio Germaniæ Rætiæque
»adhuc existare»: quæ neque confirmare
argumentis, neque refellere in animo
est: ex ingenio suo quisque demat, vel
addat fideim.

IV. IPSE eorum opinionibus accedo;
qui «Germaniæ populos nullis aliis alia-
rum nationum conubiis infectos, pro-
priam, & sinceram, & tantùm suî
similem gentem existisse» arbitrantur.
Unde habitus quoque corporum, quam-
quam in tanto hominum numero, idem
omnibus: truces & cœrulei oculi, rutilæ
comæ, magna corpora, & tantùm ad
impetum valida: laboris atque operum
non eadem patientia: minimèque sitim
æstumque tolerare, frigora atque inediam
cælo sole adfueverunt.

V. TERRA, et si aliquantò specie dif-
fert, in universum tamen aut silvis hor-
rida, aut paludibus fœda: humidior,
quæ Gallias, ventosior, quæ Noricum ac
Pannoniam aspicit: satis ferax, frugi-
ferarum arborum impatiens, pecorum

fecunda , sed plerumque improcera : ne armentis quidem suus honor , aut gloria frontis : numero gaudent : eæque solæ & gratissimæ opes sunt. Argentum & aurum propitii an irati dii negaverint , dubito. Nec tamen adfirmaverim nullam Germaniæ venam argentum aurumve gignere : quis enim scrutatus est ? possessione & usu haud perinde adficiuntur. Est videre apud illos argentea vasa , legatis & principibus eorum muneri data , non in aliâ vilitate , quâm quæ humo finguntur : quamquam proximi ob usum commerciorum aurum & argentum in pretio habent , formasque quasdam nostræ pecuniæ agnoscunt , atque eligunt : interiores simplicius & antiquius permutatione mercium utuntur. Pecuniam probant veterem , & diu notam , Serratos , Bigatosque. Argentum quoque magis , quâm aurum sequuntur , nullâ affectione animi , sed quia numerus argenteorum facilius usui est promiscua ac vilia mercantibus.

VI. NE ferrum quidem superest , sicut ex genere telorum colligitur. Rari gladiis , aut majoribus lanceis utuntur : hastas , vel ipsorum vocabulo *frameas* gerunt , angusto & brevi ferro , sed ita acri , & ad usum habili , ut eodem telo , prout ratio poscit ,

vel cominus vel eminus pugnant : & eques quidem scuto frameâque contentus est : pedites & missilia spargunt , plura singuli , atque in immensum vibrant : nudi , aut sagulo leves : nulla cultûs jactatio : scuta tantum lectissimis coloribus distinguunt : paucis loricæ : vix uni alterive casulis , aut galea. Equi non formâ , non velocitate conspicui : sed nec variare gyros , in morem nostrum , docentur. In rectum , aut uno flexu dextros agunt , ita conjuncto orbe , ut neinō posterior sit. In universum æstimanti , plus penes peditem roboris : eoque mixti prælianturn , aptâ & congruente ad equestrem pugnam velocitate peditum , quos ex omni juventute delectos ante aciem locant. Definitur & numerus : centeni ex singulis pagis sunt : idque ipsum inter suos vocantur : & quod primò numerus fuit , jam nomen & honor est. Acies per cuneos componitur. Cedere loco , dummodo rursus instes , consiliî quam formidinis arbitrantur. Corpora suorum etiam in dubiis præliis referunt. Scutum reliquissè præcipuum flagitium : nec aut sacris adesse , aut concilium inire ignominioso fas : multique superstites bellorum , infamiam laqueo finierunt.

VII. REGES ex nobilitate ; duces ex

virtute sumunt. Nec regibus infinita , aut libera potestas : & duces exemplo potius quam imperio : si prompti , si conspicui , si ante aciem agant , admiratione præsunt. Ceterum , neque animadvertere , neque vincire , ne verberare quidem , nisi sacerdotibus permisum : non quasi in pœnam , nec ducis jussu , sed velut deo imperante , quem adesse bellantibus credunt : effigiesque , & signa quædam , detracta lucis , in prælium ferunt. Quodque præcipuum fortitudinis incitamentum est , non casus , nec fortuita congregatio turmam aut cuneum facit , sed familiæ & propinquitates : & in proximo pignora : unde feminarum ululatus audiri , unde vagitus infantium : hi cuique sanctissimi testes , hi maximi laudatores. Ad matres , ad conjuges vulnera ferunt : nec illæ numerare , aut exigere plagas pavent. Cibosque & hortamina pugnantibus gestant.

VIII. M E M O R I A E proditur quasdam acies , inclinatas jam , & labantes , a feminis restitutas , constantiam precum , & objectu pectorum , & monstrata cominus captivitate , quam longè impatientius feminarum suarum nomine timent : adeò , ut efficacius obligentur animi civitatum , quibus inter obsides puellæ quoque nobiles

imperantur. Inesse quinetiam sanctum
aliquid, & providum putant: nec aut
consilia earum aspernantur, aut responsa
negligunt. Vidi mus, sub divo Vespasiano,
Veledam, diu apud plerosque numinis
loco habitam. Sed & olim Auriniam, &
compluris alias venerati sunt, non adu-
latione, nec tamquam facerent deas.

IX. DEORUM maximè Mercurium
colunt, cui certis diebus, humanis quo-
que hostiis litare fas habent. Herculem ac
Martem concessis animalibus placant:
pars Suevorum & Isidi sacrificat. Unde
causa & origo peregrino sacro, parum
comperi, nisi quod signum ipsum in mo-
dum liburnæ figuratum, docet adiectam
religionem. Ceterum, nec cohibere pa-
rietibus deos, neque in ullam humani
oris speciem adsimulare, ex magnitudine
cælestium arbitrantur: lucos ac nemora
consecrant, deorumque nominibus appell-
ant secretum illud: quod solâ reverentiâ
vident.

X. AUSPICIA, sortesque, ut qui maximè
observant. Sortium consuetudo simplex:
virgam, frugiferæ arbori decisam, in
furculos amputant, eosque, notis quibus-
dam discretos, super candidam vestem
temere ac fortuitò spargunt: mox, si

publicè consuletur, sacerdos civitatis, sive privatim, ipse paterfamiliae, precatus deos, cælumque suspiciens, ter singulos tollit, sublatos, secundum impressam antè notam, interpretatur. Si prohibuerunt, nulla, de eâdem re, in eumdem diem, consultatio: si permisum, auspiciorum adhuc fides exigitur. Et illud quidem etiam hîc notum, avium voces, volatusque interrogare. Proprium gentis, equorum quoque præfigia ac monitus experiri: publicè aluntur iisdem nemoribus ac lucis, candidi, & nullo mortali opere contacti, quos pressos sacro curru sacerdos, ac rex, vel princeps civitatis, comitantur, hinnitusque ac fremitus observant. Nec ulli auspicio major fides, non solùm apud plebem, sed apud proceres, apud sacerdotes. Se enim ministros deorum, illos conscos putant. Est & alia observatio auspiciorum, quâ gravium bellorum evenitus explorant. Ejus gentis, cum quâ bellum est, captivum quoquo modo interceptum, cum electo popularium suorum, patriis quemque armis committunt: victoria hujus, vel illius, pro præjudicio accipitur.

XI. De minoribus rebus principes consultant, de majoribus omnes: ita tamen,

ut ea quoque, quorum penes plebem arbitrium est, apud principes pertractentur. Coeunt, nisi quid fortuitum & subitum inciderit, certis diebus, cum aut inchoatur luna, aut impletur: nam agendis rebus hoc auspicatissimum initium credunt. Nec dierum numerum, ut nos, sed noctium computant. Sic constituunt, sic condicunt: nox ducere diem videtur. Illud ex libertate vitium, quod non simul, nec ut jussi conveniunt, sed & alter, & tertius dies cunctatione coeuntium absimitur. Ut turbæ placuit, considunt armati. Silentium per sacerdotes, quibus tum & coercendi jus est, imperatur. Mox rex, vel princeps, prout ætas cuique, prout nobilitas, prout decus bellorum, prout facundia est, audiuntur, auctoritate suadendi magis, quam jubendi potestate. Si displicuit sententia, fremitu aspernantur: sin placuit, frameas concutiunt. Honoratissimum assensus genus est, armis laudare.

XII. LICET apud concilium accusare quoque, & discrimen capitis intendere. Distinctio pœnarum ex delicto: proditores & transfugas arboribus suspendunt: ignavos, & imbelles, & corpore infames, cœno ac palude, injectâ insuper crate, mergunt. Diversitas supplicii illuc respicit,

tamquam scelera ostendi oporteat , dum puniuntur , flagitia abscondi. Sed & le- vioribus delictis , pro modo , pœna : equorum pecorumque numero convicti multantur : pars multæ regi , vel civitati , pars ipsi qui vindicatur , vel propinquus ejus exsolvitur. Eliguntur in iisdem con- ciliis & principes , qui jura per pagos vicosque reddunt. Centeni singulis ex plebe comites , consilium simul & au- toritas , adsunt.

XIII. NIHIL autem neque publicæ neque privatæ rei , nisi armati agunt. Sed arma sumere non antè cuiquam moris , quām civitas suffectorum probaverit. Tum in ipso concilio , vel principum aliquis , vel pater , vel propinquus scuto frameâque juvenem ornant : hæc apud illos toga , hic primus juventæ honos : ante hoc domûs pars videntur , mox reipublicæ. Insignis nobilitas , aut magna patrum merita , principis dignationem etiam adolescen- tulis adsignant. Ceteri robustioribus ac jampridem probatis aggregantur : nec rubor inter comites aspici. Gradus quin- etiam & ipse comitatus habet , judicio ejus , quem sectantur : magna que & co- mitum æmulatio , quibus primus apud principem suum locus ; & principum ,

cui plurimi & acerrimi comites. Hæc dignitas, hæ vires, magno semper electorum juvenum globo circumdari, in pace decus, in bello præsidium. Nec solùm in suâ gente cuique, sed apud finitimas quoque civitates id nomen, ea gloria est, si numero ac virtute comitatus emineat: expetuntur enim legationibus, & munerialibus ornantur, & ipsâ plerumque famâ bella profligant.

XIV. Cum ventum in aciem, turpe principi virtute vinci; turpe comitatui, virtutem principis non adæquare. Jam verò infame in omnem vitam ac probosum, superstitem principi suo ex acie recessisse. Illum defendere, tueri, sua quoque fortia facta gloriæ ejus adsignare, præcipuum sacramentum est. Principes pro victoriâ pugnant: comites pro principe. Si civitas, in quâ orti sunt, longâ pace & otio torpeat; plerique nobilium adolescentium petunt ultro eas nationes, quæ tum bellum aliquod gerunt; quia & ingrata genti quies, & facilius inter ancipitia clarescunt, magnumque comitatum non nisi vi belloque tueare: exigunt enim principis sui liberalitate illum bellatorum equum, illam cruentam victricemque frameam. Nam epulæ, & quamquam

incompti, largi tamen apparatus pro stipendio cedunt. Materia munificentiae per bella & raptus. Nec arare terram, aut exspectare annum, tam facilè persuaseris, quam vocare hostes & vulnera mereri: pigrum quinimmo & iners videtur sudore adquirere, quod possis sanguine parare.

XV. QUOTIENS bella non ineunt, non multum venatibus, plus per otium transigunt, dediti somno, ciboque. Fortissimus quisque ac bellicosissimus nihil agens, delegata domus, & penatum, & agrorum curâ feminis senibusque, & infirmissimo cuique ex familiâ, ipsi habent: mirâ diversitate naturæ, cum iidem homines sic ament inertiam, &oderint quietem. Mos est civitatibus, ultiro ac viritim conferre principibus, vel armatorum, vel frugum, quod pro honore acceptum, etiam necessitatibus subvenit. Gaudent præcipue finitimarum gentium donis, quæ non modò a singulis, sed publicè mittuntur: electi equi, magna arma, phaleræ, torqueisque. Jam & pecuniam accipere docuimus.

XVI. NULLAS Germanorum populis urbes habitari, satis notum est: ne pati quidem inter se junctas sedes. Colunt discreti ac diversi, ut fons, ut campus,

ut nemus placuit. Vicos locant, non in nostrum morem, connexis & cohærentibus ædificiis: suam quisque domum spatio circumdat, sive adversùs casus ignis remedium, sive inscitia ædificandi. Nec cæmentorum quidem apud illos, aut regularum usus: materiâ ad omnia utuntur informi, & citra speciem, aut delectationem. Quædam loca diligentius illinunt terrâ, ita purâ ac splendente, ut picturam ac lineamenta colorum imitetur. Solent & subterraneos specus aperire, eosque multo insuper fimo onerant, suffugium hiemi & receptaculum frugibus: quia rigorem frigorum ejusmodi locis molliunt: & si quando hostis advenit, aperta populatur: abdita autem & defossa, aut ignorantur, aut eo ipso fallunt, quod quærenda sunt.

XVII. **T E G U M E N** omnibus sagum, fibulâ, aut, si desit, spinâ consertum. Cetera intecti, totos dies juxta focum atque ignem agunt. Locupletissimi veste distinguuntur, non fluitante, sicut Sarmatæ ac Parthi, sed strictâ & singulos artus exprimente. Gerunt & ferarum pelles, proximi ripæ negligenter, ulteriores exquisitius, ut quibus nullus per commercia cultus. Eligunt feras, & de-

tracta velamina spargunt maculis pellibusque belluarum , quas exterior Oceanus , atque ignotum mare gignit. Nec aliis feminis quam viris habitus , nisi quod feminæ sæpius lineis amictibus velantur , eosque purpurâ variant , partemque vestitûs superioris in manicas non extendunt , nudæ brachia ac lacertos : sed & proxima pars pectoris patet.

XVIII. QUAMQUAM severa illic matrimonia : nec ullam morum partem magis laudaveris : nam propè soli barbarorum singulis uxoribus contenti sunt , exceptis admodum paucis , qui non libidine , sed ob nobilitatem plurimis nuptiis ambiuntur. Dotem non uxor marito , sed uxori maritus offert. Intersunt parentes & propinqui , ac munera probant : munera non ad delicias muliebres quæsita , nec quibus nova nupta comatur ; sed boves , & frenatum equum , & scutum cum frameâ , gladioque. In hæc munera uxor accipitur , atque invicem ipsa armorum aliquid viro affert. Hoc maximum vinculum , hæc arcana sacra , hos conjugales deos arbitrantur. Ne se mulier extra virtutum cogitationes , extraque bellorum casus putet , ipsis incipientis matrimonii auspiciis admonetur , venire se laborum periculo-

rumque sociam , idem in pace , idem in
prælio passuram ausuramque : hoc juncti
boves , hoc paratus equus , hoc data arma
denuntiant. Sic vivendum , sic pereun-
dum : accipere se , quæ liberis inviolata
ac digna reddat , quæ nurus accipient ,
rursusque ad nepotes referant.

XIX. ERGO septâ pudicitiâ agunt ,
nullis spectaculorum inlecebris , nullis
conviviorum irritationibus corruptæ. Li-
terarum secreta viri pariter ac feminæ
ignorant. Paucissima in tam numerosâ
gente adulteria , quorum pœna præfens ,
& maritis permissa. Accisis crinibus , nu-
datam , coram propinquis , expellit domo
maritus , ac per omnem vicum verbere
agit : publicatæ enim pudicitiæ nulla ve-
nia : non formâ , non ætate , non opibus
maritum invenerit. Nemo enim illic vitia
ridet : nec corrumpere & corrumphi , sæ-
culum vocatur. Melius quidem adhuc eæ
civitates , in quibus tantùm virgines nu-
bunt , & cum spe votoque uxoris semel
transigitur. Sic unum accipiunt maritum ,
quo modo unum corpus , unamque vi-
tam , ne ulla cogitatio ultrà , ne longior
cupiditas , ne tamquam maritum , sed
tamquam matrimonium ament. Nume-
rûm liberorum finire , aut quemquam ex-

agnatis necare , flagitium habetur : plusque ibi boni mores valent , quam alibi bona leges.

XX. IN omni domo nudi ac folidi , in hos artus , in haec corpora , quæ miramur , ex crescunt. Sua quemque mater uberibus alit , nec ancillis ac nutricibus delegantur. Dominum ac servum nullis educationis deliciis dignoscas. Inter eadem pecora , in eadem humo degunt , donec ætas separat ingenuos , virtus agnoscatur. Sera juvenum Venus ; eo que inexhausta pubertas : nec virgines festinantur ; eadem juventa , similis proceritas : pares validæque miscentur : ac robora parentum liberi referunt. Sororum filiis idem apud avunculum , qui apud patrem honor. Quidam sanctiorem arctioremque hunc nexum sanguinis arbitrantur , & in accipiendis obsidibus magis exigunt ; tamquam ii , & animum firmius , & domum latius teneant. Heredes tamen successoresque sui cuique liberi : & nullum testamentum. Si liberi non sunt , proximus gradus in possessione fratres , patrui , avunculi. Quantò plus propinquorum , quò major ad finium numerus , tantò gratiolor senectus : nec ulla orbitatis pretia.

XXI. SUSCIPERE tam inimicitias , seu

patris, seu propinquui, quam amicitias
necessa est: nec implacabiles durant.
Luitur enim etiam homicidium certo
armentorum ac pecorum numero, recipi-
que satisfactionem universa domus:
utiliter in publicum; quia periculosiores
sunt inimicitiae juxta libertatem. Convic-
tibus & hospitiis non alia gens effusius
indulget. Quemcumque mortalium arcere
recto, nefas habetur: pro fortunâ quis-
que apparatis epulis excipit. Cum defe-
cere, qui modò hospes fuerat, monstrator
hospitii & comes, proximam domum non
invitati adeunt: nec interest: pari huma-
nitate accipiuntur. Notum ignotumque,
quantum ad jus hospitii, nemo discernit.
Abeunti, si quid poposcerit, concedere
moris: & poscendi invicem eadem faci-
litas. Gaudent muneribus: sed nec data-
imputant, nec acceptis obligantur.

XXII. VICTUS inter hospites comis.
Statim e somno, quem plerumque in
diem extrahunt, lavantur, saepius calidâ,
ut apud quos plurimum hiems occupat.
Lauti, cibum capiunt: separatae singulis
sedes, & sua cuique mensa. Tum ad
negotia, nec minus sape ad convivia pro-
cedunt armati. Diem noctemque conti-
nuare potando, nulli probrum. Crebræ,

ut inter vinolentos rixæ , raro conviciis ,
sæpius cæde & vulneribus transiguntur.
Sed & de reconciliandis invicem inimicis ,
& jungendis adfinitatibus , & adsciscendis
principibus , de pace denique ac bello
plerumque in conviviis consultant : tam
quam nullo magis tempore aut ad sim
plices cogitationes pateat animus , aut ad
magnas incalescat. Gens non astuta , nec
callida , aperit adhuc secreta pectoris ,
licentiâ joci. Ergo detecta & nuda omnium
mens , posterâ die retractatur ; & salva
utriusque temporis ratio est. Deliberant ,
dum fingere nesciunt : constituunt , dum
errare non possunt.

XXIII. Potui humor ex hordeo aut
frumento , in quamdam similitudinem
vini corruptus. Proximi ripæ & vinum
mercantur. Cibi simplices : agrestia poma ,
recens fera , aut lac concretum. Sine
apparatu , sine blandimentis expellunt
famem. Adversus sitim , non eadem tem
perantia. Si indulseris ebrietati , sugge
rendo quantum concupiscunt , haud mi
nus facilè vitiis , quam armis vincentur.

XXIV. GENUS spectaculorum unum ,
atque in omni cœtu idem. Nudi juvenes ,
quibus id ludicum est , inter gladios
se , atque infestas frameas , saltu jaciunt.

Exercitatio artem paravit , ars decorem : non in quæstum tamen , aut mercedem : quamvis audacis lasciviæ pretium est , voluptas spectantium. Aleam (quod mirere) sobrii inter seria exercent , tantâ lucrandi perdendive temeritate , ut , cùm omnia defecerunt , extremo ac novissimo jactu de libertate & de corpore contendant. Victus voluntariam servitutem adit : quamvis junior , quamvis robustior , alligari se ac venire patitur. Ea est in re pravâ pervicacia : ipsi fidem vocant. Servos conditionis hujus per commercia tradunt , ut se quoque pudore victoriæ exsolvant.

XXV. CETERIS servis , non , in nostrum morem , descriptis per familiam ministeriis , utuntur. Suam quisque sedem , suos penates regit. Frumenti modum dominus , aut pecoris , aut vestis , ut colono , injungit : & servus hactenus paret. Cetera domûs officia uxor ac liberi exsequuntur. Verberare servum ac vinculis & opere coercere , rarum. Occidere solent , non disciplinâ & severitate , sed impetu & irâ , ut inimicum , nisi quòd impunè. Libertini non multum supra servos sunt , raro aliquod momentum in domo , numquam in civitate , exceptis dumtaxat iis gentibus , quæ regnantur. Ibi enim & super

Ingenuos & super nobiles ascendunt : apud ceteros , impares libertini libertatis argumentum sunt.

XXVI. FENUS agitare , & in usuras extendere , ignotum : ideoque magis servatur , quam si vetitum esset. Agri , pro numero cultorum , ab universis per vices occupantur , quos mox inter se secundum dignationem partiuntur : facilitatem partiendi camporum spatia praestant. Arva per annos mutant ; & superest ager : nec enim cum ubertate & amplitudine soli labore contendunt , ut pomaria conserant , & prata separent , & hortos rigent : sola terrae seges imperatur. Unde annum quoque ipsum non in totidem digerunt species : hiems , & ver , & aestas intellectum ac vocabula habent : autumni perinde nomen ac bona ignorantur.

XXVII. FUNERUM nulla ambitio : id solum observatur , ut corpora clarorum virorum certis lignis crementur. Struem rogi nec vestibus , nec odoribus cumulant : sua cuique arma , quorumdam igni & equus adjicitur. Sepulcrum cespes erigit. Monumentorum arduum & operosum honorem , ut gravem defunctis , aspernantur. Lamenta ac lacrimas citò , dolorem & tristitiam tardè ponunt. Feminis

lugere honestum est : viris meminisse.

XXVIII. Hæc in commune de omnium Germanorum origine ac moribus accepimus. Nunc singularum gentium instituta, ritusque, quatenus differant, quæ nationes e Germaniâ in Gallias commigraverint, expediam. Validiores olim Gallorum res fuisse summus auctorum divus Julius tradit: eoque credibile est, etiam Gallos in Germaniam transgressos. Quantulum enim amnis obstabat, quominus, ut quæque gens evaluerat, occuparet permutaretque sedes promiscuas adhuc, & nullâ regnorum potentia divisas? Igitur inter Hercyniam silvam, Rhenumque & Mœnum amnes, Helvetii, ulteriora Boii, Gallica utraque gens, tenuere. Manet adhuc *Boemi* nomen, significatque loci veterem memoriam, quamvis mutatis cultoribus. Sed utrum Aravisci in Pannoniam ab Osis, Germanorum natione, an Osi ab Araviscis in Germaniam commigraverint, cum eodem adhuc sermone, institutis, moribus utantur, incertum est: quia pari olim inopiâ ac libertate, eadem utriusque ripæ bona malaque erant. Treveri & Nervii circa affectionem Germanicæ originis ultro ambitiosi sunt, tamquam per hanc

gloriam sanguinis, a similitudine & inertia
Gallorum separentur. Ipsam Rheni ripam
haud dubie Germanorum populi colunt,
Vangiones, Triboci, Nemetes. Ne Ubii
quidem, quamquam Romana colonia
esse meruerint, ac libentiis *Agrippinenses*
conditoris sui nomine vocentur, origine
erubescunt, transgressi olim, & experi-
mento fidei super ipsam Rheni ripam
collocati, ut arcerent, non ut custodi-
rentur.

XXIX. OMNIUM harum gentium
virtute præcipui Batavi, non multum ex
ripâ, sed insulam Rheni amnis colunt,
Cattorum quondam populus, & seditione
domesticâ in eas sedes transgressus, in
quibus pars Romani imperii fierent. Ma-
net honos, & antiquæ societatis insigne:
nam nec tributis contemnuntur, nec
publicanus atterit: exempti oneribus &
collationibus, & tantum in usum præ-
liorum sepositi, velut tela atque arma,
bellis reservantur. Est in eodem obsequio
& Mattiacorum gens. Protulit enim ma-
gnitudo populi Romani ultra Rhenum,
ultraque veteres terminos, imperii reve-
rentiam. Ita sede finibusque in suâ ripâ,
mente animoque nobiscum agunt, cetera
similes Batavis, nisi quod ipso adhuc

terræ suæ solo & cælo acriùs animantur: Non numeraverim inter Germaniæ populos, quamquam trans Rhenum Danubiumque confederint, eos, qui Decumates agros exercent. Levissimus quisque Gallorum, & inopiâ audax, dubiæ possessionis solum occupavere. Mox limite acto, promotisque præsidiis, sinus imperii, & pars provinciæ habentur.

XXX. ULTRA hos Catti initium sedis ab Hercynio saltu inchoant, non ita effusis ac palustribus locis, ut ceteræ civitates, in quas Germania patescit: durant siquidem colles, paullatimque rarescunt: & Cattos suos saltus Hercynius prosequitur simul atque deponit. Duriora genti corpora, stricti artus, minax vultus, & major animi vigor. Multum (ut inter Germanos) rationis ac solertiæ: præponere electos, audire præpositos, nosse ordines, intelligere occasiones, differre impetus, disponere diem, vallare noctem, fortunam inter dubia, virtutem inter certa numerare: quodque rarissimum, nec nisi ratione disciplinæ concessum, plus reponere in duce, quam in exercitu. Omne robur in pedite, quem super arma ferramentis quoque & copiis onerant. Alios ad prælium ire videas;

Cattos ad bellum : rari excursus & fortuita pugna. Equestrium sanè virium id proprium , citò parare victoriam , citò cedere. Velocitas juxta formidinem , cunctatio propior constantiae est.

XXXI. Et aliis Germanorum populis usurpatum rarâ & privatâ cuiusque audentiâ , apud Cattos in consensum vertit , ut primùm adoleverint , crinem barbamque summittere , nec , nisi hoste cæso , exuere votivum obligatumque virtuti oris habitum. Super sanguinem & spolia , revelant frontem , seque « tum denum » pretia nascendi retulisse , dignosque patriâ ac parentibus » ferunt. Ignavis & imbellibus manet squalor. Fortissimus quisque ferreum insuper anulum (ignominiosum id genti) velut vinculum gestat , donec se cæde hostis absolvat. Plurimis Cattorum hic placet habitus. Jamque canent insignes , & hostibus simul suisque monstrati : omnium penes hos initia pugnarum : hæc prima semper acies , visu nova. Nam ne in pace quidem vultumtiore mansuescunt. Nulli domus , aut ager , aut aliqua cura : prout ad quemque venire , aluntur : prodigi alieni , contemptores suî : donec exsanguis senectus tam durae virtuti impares faciat.

XXXII. PROXIMI Cattis certum jam alveo Rhenum , quique terminus esse sufficiat , Usipii ac Tencteri colunt. Tencteri super solitum bellorum decus , equestris disciplinæ arte præcellunt. Nec major apud Cattos peditum laus , quam Tencteris equitum. Sic instituere majores , posteri imitantur. Hi lusus infantium , hæc juvenum æmulatio , perseverant senes : inter familiam , & penates , & jura successionum , equi traduntur : excipit filius , non , ut cetera , maximus natu , sed prout ferox bello & melior.

XXXIII. JUXTA Tencteros Bructeri olim occurrebant : nunc Chamavos & Angrivarios immigrasse narratur , pulsis Bructeris ac penitus excisis , vicinarum consensu nationum , seu superbia odio , seu prædæ dulcedine , seu favore quodam erga nos deorum : nam ne spectaculo quidem prælia invidere : super lx millia , non armis telisque Romanis , sed , quod magnificentius est , oblationi oculisque ceciderunt. Maneat quæso , duretque gentibus , si non amor nostrî , at certè odium suî : quando , urgentibus imperii fatis , nihil jam præstare fortuna majus potest , quam hostium discordiam.

XXXIV. ANGRIVARIOS & Chamavos

à tergo Dulgibini , & Chasuari cludunt ,
aliaeque gentes haud perinde memoratae.
A fronte Frisi excipiunt. « Majoribus
minoribusque Frisiis » vocabulum est ,
ex modo virium : utræque nationes usque
ad Oceanum Rheno prætexuntur , am-
biuntque immensos insuper lacus , &
Romanis classibus navigatos. Ipsum quin-
etiam Oceanum illà tentavimus : & su-
peresse adhuc Herculis columnas fama
vulgavit : sive adiit Hercules , seu quid-
quid ubique magnificum est , in claritatem
ejus referre consensimus. Nec defuit au-
dentia Druso Germanico : sed obstitit
Oceanus in se simul atque in Herculem
inquiri. Mox nemo tentavit : sanctiusque
ac reverentius visum , de actis deorum
credere , quam scire.

XXXV. HACTENUS in Occidentem
Germaniam novimus. In Septentrionem
ingenti flexu redit. Ac primò statim Chau-
corum gens , quamquam incipiat a Frisiis ,
ac partem litoris occupet , omnium , quas
exposui , gentium lateribus obtenditur ,
donec in Cattos usque sinuetur. Tam
immensum terrarum spatium non tenent
tantum Chauci , sed & implent : populus
inter Germanos nobilissimus , qui que
magnitudinem suam malit justitiâ tueri :

sine cupiditate , sine impotentiâ , quieti
secretique , nulla provocant bella , nullis
raptibus aut latrociniis populantur. Idque
præcipuum virtutis ac virium argumen-
tum est , quòd , ut superiores agant , non
per injurias adsequuntur. Prompta tamen
omnibus arma , ac , si res poscat , exer-
citus : plurimum virorum equorumque :
& quiescentibus eadem fama.

XXXVI. IN latere Chaucorum Cat-
torumque , Cherusci nimiam ac marcen-
tem diu pacem illaceſſiti nutrierunt :
idque jucundius , quàm tutius fuit : quia
inter impotentes & validos falsò quiescas :
ubi manu agitur , modestia ac probitas
nomina superioris sunt. Ita qui olim « boni
» æquique Cherusci » , nunc « inertes ac
» stulti » vocantur : Cattis victoribus for-
tuna in sapientiam cessit. Tracti ruinâ
Cheruscorum & Fosi , contermina gens ,
adversarum rerum ex æquo socii , cùm
in secundis minores fuissent.

XXXVII. EUMDEM Germaniæ situm
proximi Oceano Cimbri tenent , parva
nunc civitas , sed gloriâ ingens : veterisque
famæ latè vestigia manent , utrâque ripâ
castra , ac spatia , quorum ambitu nunc
quoque metiaris molem manusque gentis ,
& tam magni exercitûs fidem. Sexente-

fimū & quadragesimum annum Urbs nostra agebat, cùm primū Cimbrorum audita sunt arma, Cæcilio Metello ac Papirio Carbone consulibus. Ex quo si ad alterum Imperatoris Trajani consulatum computemus, ducenti ferme & decem anni colliguntur: tamdiu Germania vincitur. Medio tam longi ævi spatio, multa invicem damna. Non Samnis, non Pœni, non Hispaniæ, Galliæve, ne Parthi quidem sæpius admonuere: quippe regno Arsacis acrior est Germanorum libertas. Quid enim aliud nobis, quàm cædem Crassî, amissô & ipse Pacoro, infra Ventidium dejectus Oriens objecerit? At Germani Carbone, & Cassio, & Scauro Aurelio, & Servilio Cæpione, Cn. quoque Manlio fûsis, vel captis, quinque simul consulares exercitus populo Romano, Varum, tresque cum eo legiones, etiam Cæsari abstulerunt: nec impunè C. Marius in Italâ, divus Julius in Galliâ, Drasus ac Nero & Germanicus in suis eos fedibus perculerunt. Mox ingentes C. Cæsarî minæ in ludibrium versæ. Inde otium, donec occasione discordiæ nostræ & civilium armorum, expugnatis legionum hibernis, etiam Gallias affectavere: ac rursus pulsi inde, proximis temporibus

triumphati magis , quām victi sunt.

XXXVIII. Nunc de Suevis dicendum est , quorum non una , ut Cattorum Tencterorumve , gens : majorem enim Germaniæ partem obtinent , propriis adhuc nationibus nominibusque discreti , quamquam in commune Suevi vocentur. Insigne gentis obliquare crinem , nodoque substringere. Sic Suevi a ceteris Germanis : sic Suevorum ingenui a servis separantur. In aliis gentibus , seu cognatione aliquâ Suevorum , seu (quod s̄æpe accidit) imitatione , rarum , & intra juvenæ spatiū ; apud Suevos , usque ad canitiem , horrentem capillum retro sequuntur , ac s̄æpe in ipso solo vertice religant : principes & ornatiorem habent : ea cura formæ , sed innoxiae. Neque enim ut ament amenturve ; in altitudinem quamdam & terrorem , adituri bella , compti , ut hostium oculis , ornantur.

XXXIX. « VETUSTISSIMOS se nobilissimosque Suevorum » Semnones memorant. Fides antiquitatis , religione firmatur. Stato tempore in silvam , auguriis patrum & priscâ formidine sacram , omnes ejusdem sanguinis populi legationibus coeunt , cæsoque publicè homine celebrant barbari ritûs horrenda primordia .

Est & alia luco reverentia. Nemo nisi vinculo ligatus ingreditur, ut minor, & potestateim numinis præ se ferens: si fortè prolapsus est, attolli & insurgere haud licitum: per humum evolvuntur: eoque omnis supersticio respicit, tamquam inde initia gentis, ibi regnator omnium deus, cetera subiecta atque parentia. Adjicit auctoritatem fortuna Semnonum: centum pagis habitantur: magnoque corpore efficitur, ut se Suevorum caput credant.

XL. CONTRA Langobardos paucitas nobilitat: plurimis ac valentissimis nationibus cincti, non per obsequium, sed præliis & periclitando tuti sunt. Reudigni deinde; & Aviones, & Angli, & Varini, & Eudoses, & Suardones, & Nuithones, fluminibus aut silvis muniuntur: nec quidquam notabile in singulis, nisi quod in commune Herthum, id est, Terram matrem colunt, eamque intervenire rebus hominum, invehi populis, arbitrantur. Est in insulâ Oceani castum nemus, dicatum in eo vehiculum, veste coniectum, attingere uni sacerdoti concessum. Is adesse penetrali deam intelligit, vectamque bobus feminis multâ cum veneratione prosequitur. Læti tunc dies, festa loca;

quæcumque adventu hospitioque dignatur. Non bella ineunt, non arma sumunt, clausum omne ferrum; pax & quies, tunc tantum nota, tunc tantum amata, donec idem sacerdos satiatam conversione mortalium deam templo reddat: mox vehiculum & vestes, &, si credere velis, numen ipsum secreto lacu abluitur. Servi ministrant, quos statim idem lacus haurit. Arcanus hinc terror, sanctaque ignorantia, quid sit id, quod tantum perituri vident.

XLI. ET hæc quidem pars Sueorum in secretiora Germaniæ porrigitur. Propior (ut quo modo paullo antè Rhenum, sic nunc Danubium sequar) Hermundurorum civitas, fida Romanis, eoque solis Germanorum non in ripâ commercium, sed penitus, atque in splendidissimâ Rætiæ provinciæ coloniâ: passim & sine custode transeunt; & cùm ceteris gentibus arma modò castraque nostra ostendamus, his domos, villasque patefecimus, non concupiscentibus. In Hermunduris Albis oritur, flumen inclitum & notum olim; nunc tantum auditur.

XLII. JUXTA Hermunduros Narisci, ac deinde Marcomanni & Quadi agunt. Præcipua Marcomannorum gloria viref-

que , atque ipsa etiam sedes , pulsis olim
Boiis , virtute parta. Nec Narisci Quadive
degenerant. Eaque Germaniae velut frons
est , quatenus Danubio pergitur. Marco-
mannis , Quadiisque usque ad nostram
memoriam reges manserunt , ex gente
ipsorum , nobile Marobodui & Tudri
genus : jam & externos patiuntur. Sed vis.
& potentia regibus , ex auctoritate Ro-
manâ : raro armis nostris , saepius pecuniâ
juvantur.

XLIII. NEC minùs valent retro Mar-
signi , Gothini , Osî , Burii : terga Mar-
comannorum , Quadorumque claudunt :
e quibus Marsigni , & Burii sermone cul-
tuque Suevos referunt. Gothinos Gallica ;
Osos Pannonica lingua coarguit , non esse
Germanos ; & quòd tributa patiuntur :
partem tributorum Sarmatæ , partem
Quadi , ut alienigenis , imponunt : Go-
thini , quò magis pudeat , & ferrum
effodiunt : omnesque hi populi pauca
campestrium , ceterùm saltus & vertices
montium jugumque insederunt. Dirimit
enim scinditque Sueviam continuum
montium jugum , ultra quod plurimæ
gentes agunt : ex quibus latissimè patet
Lygiorum nomen in plures civitates dif-
fusum. Valentissimas nominasse sufficiet .

Arios, Helveconas, Manimos, Elysios; Naharvalos. Apud Naharvalos antiquæ religionis lucus ostenditur. Præsidet sacerdos muliebri ornatu: sed « deos, interpretatione Romanâ, Castorem Pol-» lucemque » memorant. Ea vis numini: nomen *Alcis*: nulla simulacra, nullum peregrinæ superstitionis vestigium: ut fratres tamen, ut juvenes venerantur. Ceterū Arii super vires, quibus enumeratos paullo antè populos antecedunt, truces, insitæ feritati arte ac tempore lenocinantur: nigra scuta, tincta corpora: atras ad prælia noctes legunt: ipsaque formidine atque umbrâ feralis exercitûs terrorem inferunt, nullo hostium sustinente novum ac velut infernum aspectum: nam primi in omnibus præliis oculi vincuntur. Trans Lygios Gothones regnantur, paullo jam adductiùs, quàm ceteræ Germanorum gentes, nondum tamen supra libertatem. Protinus deinde ab Oceano Rugii, & Lemovii: omniumque harum gentium insigne, rotunda scuta, breves gladii, & erga reges obsequium.

XLIV. SUIONUM hinc civitates, ipso in Oceano, præter viros armaque classibus valent: forma navium eò differt, quod utrumque prora paratam semper appulsi

frontem agit : nec velis ministrantur , nec remos in ordinem lateribus adjungunt . Solutum , ut in quibusdam fluminum , & mutabile , ut res poscit , hinc vel illinc remigium . Est apud illos & opibus honos : eoque unus imperitat , nullis jam exceptionibus , non precario jure parendi : nec arma , ut apud ceteros Germanos , in promiscuo , sed clausa sub custode , & quidem servo : quia subitos hostium incursus prohibet Oceanus . Otiosæ porro armatorum manus facile lasciviunt : enim verò neque nobilem , neque ingenuum , ne libertinum quidem armis præponere regia utilitas est .

XLV. TRANS Suionas aliud mare pigrum , ac propè immotum , quo cingi cludique terrarum orbem hinc fides : quod extremus cadentis jam Solis fulgor in ortus edurat , adeò clarus , ut sidera hebetet . Sonum insuper emergentis audiri , formaque dæorum , & radios capitis aspici persuasio adjicit . Illuc usque (& fama vera) tantum natura . Ergo jam dextro Suevici maris litore Æstiorum gentes alluuntur : quibus ritus habitusque Sueorum , lingua Britannicæ propior . Matrem deum venerantur : insigne superstitionis , formas aprorum gestant . Id pro armis

omnique tutelâ : securum deæ cultorem
etiam inter hostes præstat. Rarus ferri ,
frequens fustium usus. Frumenta ceteros-
que fructus patientiùs , quām pro solitâ
Germanorum inertiatâ , laborant. Sed &
mare scrutantur ; ac soli omnium succi-
num , quod ipsi *Glesum* vocant , inter-
vada atque in ipso litore legunt. Nec ,
quæ natura , quæve ratio gignat , ut bar-
baris , quæsitum compertumve. Diu quin-
etiam inter cetera ejectamenta maris ja-
cebat , donec luxuria nostra dedit nomen :
ipsis in nullo usu ; rude legitur , informe
perfertur , pretiumque mirantes accipiunt.
Succum tamen arborum esse intelligas ,
quia terrena quædam atque etiam vo-
lucria animalia plerumque interlucent ,
quæ implicata humore , mox durescente
materiâ , cluduntur. Fecundiora igitur
nemora lucosque , sicut Orientis secretis ,
ubi thura balsamaque sudantur , ita Occi-
dantis insulis terrisque inesse crediderim ,
quæ vicini Solis radiis expressa atque li-
quentia in proximum mare labuntur , ac
vi tempestatum in adversa litora exundant.
Si naturam succini admoto igne tentes ,
in modum tedæ accenditur , alitque
flammam pinguem & olentem : mox ut
in picem resinamve lenteficit. Suionibus

Sitonus gentes continuantur. Cetera similes, uno differunt, quod femina dominatur: in tantum non modo a libertate, sed etiam a servitute degenerant. Hic Sueviæ finis.

XLVI. PEUCINORUM, Venedorumque, & Fennorum nationes Germanis an Sarmatis adscribam dubito: quamquam Peucini, quos quidam Baſtarnas vocant, sermone, cultu, sede, ac domiciliis, ut Germani agunt: fordes omnium ac torpor: procerum conubiis mixtis, nonnihil in Sarmatarum habitum fœdantur. Venedi multum ex moribus traxerunt. Nam quidquid inter Peucinos Fenosque silvarum ac montium erigitur, latrociniis pererrant. Hi tamen inter Germanos potius referuntur, quia & domos fingunt, & scuta gestant, & pedum usu ac perniciitate gaudent; quæ omnia diversa Sarmatis sunt, in plaustro equoque viventibus. Fennis mira feritas, fœda paupertas: non arma, non equi, non penates: victui herba, vestiti pelles: cubile humus: sola in sagittis spes, quas inopiâ ferri, ossibus asperant. Idemque venatus viros pariter ac feminas alit. Passim enim comitantur, partemque prædæ petunt. Nec aliud infantibus ferarum imbriumque

suffugium , quām ut in aliquo ramorum
nexu contegantur : huc redeunt juvenes ,
hoc senum receptaculum. Sed beatius
arbitrantur , quām ingemere agris , illa-
borare domibus , suas alienasque fortunas
spe metuque versare. Securi adversūs ho-
mines , securi adversūs deos , rem diffi-
cillimam adsecuti sunt , ut illis ne voto
quidem opus esset. Cetera jam fabulosa :
« Hellusios & Oxionas ora hominum vul-
» tusque corpora atque artus ferarum
» gerere » : quod ego , ut incompertum ,
in medium relinquam.



B R E V I A R I U M

V I T Æ

C N. J U L I I A G R I C O L Æ.

I. *In* scribendâ clarorum virorum
vitâ mos. II. Pericula. III. Tacito
animos addit præsens temporum felici-
tas. IV. *Cn. Julii Agricolæ stirps,*
pueritia : adolescentiæ studia. V.
Prima castrorum rudimenta in Bri-.
tanniâ. VI. *Ejus matrimonium :*
quæstura : tribunatus plebis : præ-
tura : sacra ædilitas. VII. *Othoniano*
bello matrem partemque patrimonii
amittit. In *Vespasiani* partes trans-
gressus, vicesimæ legioni in Britan-
niâ præest. VIII. *Ibi alienæ famæ*
curâ suam promovet. IX. *Inter pa-*
tricos adsciscitur: Aquitaniam regit.
Inde consul, Tacito filiam suam uxo-

rem dat : Britanniæ præponitur, adjecto pontificatus sacerdotio. X. Britanniæ descriptio. XI. Incolarum origo, habitus, sacra, sermo, mores. XII. Eorum militia, regimen, conventus : cœlum, solum, metalla, margarita. XIII. Viðæ gentis ingenium. Cæsarum in Britanniam expeditiones. XIV. Consulares legati Aulus Plautius, Ostorius Scapula, Didius Gallus, Veranius, Suetonius Paullinus. XV. Britanniæ rebellio. XVI. Boudicea, generis regii femina, Britannorum dux. Motum hunc compescit Paullinus ; cui successere Trebellius Maximus & Vettius Bolanus, sed ignavi. XVII. Rem restituunt magni duces, Petilius Cerialis & Julius Frontinus. XVIII. Agricola Britanniæ præficitur. Viðis Ordovicibus, Monam insulam in ditionem recipit. XIX. Præclaræ

artes , quibus provinciam regit , bellorum causas amovet. XX. Terrore ; clementiâ parta pax. XXI. Liberalibus artibus & voluptatibus molliuntur Britannorum animi. XXII. Novæ gentes apertæ & vastatæ. XXIII. Bello adquisita præsidiis firmantur. XXIV. De occupandâ Hiberniâ consilium. XXV. Civitates trans Bodotriam sitæ explorantur. Motus Caledoniorum. XXVI. Ii nonam legionem adgrediuntur : cedunt territi. XXVII. Redit tamen animus ; conspirantque civitates. XXVIII. Usipiorum cohors miro casu Britanniam circumvecta. XXIX. Calgacus bellum parat ; montemque Grampium occupat. XXX. Egregia ejus oratio. XXXIII. Romanos quoque adloquitur Agricola. XXXV. Atrox cruentumque prælium. XXXVIII. Penes Romanos


victoria. Britanniam circumvehi præcipit Agricola. XXXIX. *Domitianus, fronte latus, pedore anxius, nuntium victoriæ excipit.* XL. *Triumphalia tamen ornamenta statuamque decerni jubet: condito odio, donec provinciâ decedat Agricola.* Is, e *Britanniâ redux, modestè agit.* XLI. *Ejus e Principe, ex aulâ pericula.* XLII. *Excusat se ne proconsulatum sortiatur.* XLIII. *Moritur, Domitiani veneno, ut fama fuit, interceptus.* XLIV. *Ejus ætas, forma, honores, opes.* XLV. *Mortis opportunitas, ante Domitiani atrocitates.* Taciti in *Agricolam pietas.* XLVI. *Ex virtute solatia, virtutisque documenta.*

Agricolæ vitam scripsit Tacitus

A.U.C. J.C.

pcccl. 97. Cest. { M. COCCEIO Nervâ Aug. III,
L. VERGINIO Rufo III.

CN. JULII



CN. JULII AGRICOLÆ
VITA,
SCRIPTORE
C. CORN. TACITO.

CLARORUM virorum facta moresque posteris tradere antiquitus usitatum, ne nostris quidem temporibus, quamquam incuriosa suorum ætas omisit, quotiens magna aliqua ac nobilis virtus vicit ac supergressa est vitium, parvis magnisque civitatibus commune, ignorantiam recti & invidiam. Sed apud priores, ut agere memoratu digna primum, magisque in aperto erat; ita celeberrimus quisque ingenio, ad prodendam virtutis memoriam, sine gratiâ aut ambitione,

Tom. VI.

C

bonæ tantum conscientiæ pretio, ducebatur. Ac plerique suam ipsi vitam narrare, fiduciam potius morum, quam arrogantiam arbitrati sunt: nec id Rutilio & Scauro citra fidem, aut obtrectationi fuit: adeò virtutes iisdem temporibus optimè aestimantur, quibus facillimè lignuntur. At mihi nunc, narraturo vitam defuncti hominis, veniam opus fuit: quam non petissem, ni cursaturus tam sæva & infesta virtutibus tempora.

II. LEGIMUS, cùm Aruleno Rustico Pætus Thrasea, Herennio Senecioni Priscus Helvidius laudati essent, capitale fuisse: neque in ipsos modò autores, sed in libros quoque eorum servitum, delegato triumviris ministerio, ut monumenta clarissimorum ingeniorum in comitio ac foro urerentur. Scilicet illo igne vocem populi Romani, & libertatem senatus, & conscientiam generis humani aboleri arbitrabantur, expulsis insuper sapientiæ professoribus, atque omni bonâ arte in exsilium actâ, ne quid usquam honestum occurreret. Dediimus profectò grande patientiæ documentum: & sicut vetus ætas vidit, quid ultimum in libertate esset; ita nos quid in servitute, adempto per inquisitiones & loquendi audiendique

commercio. Memoriam quoque ipsam cum voce perdidissemus, si tam in nostrâ potestate esset oblivisci, quâm tacere.

III. N U N C demum redit animus: & quamquam, primo statim beatissimi sæculi ortu, Nerva Cæsar res olim dissociabiles miscuerit, principatum ac libertatem, augeatque quotidie felicitatem imperii Nerva Trajanus, nec spem modò ac votum securitas publica, sed ipsius voti fiduciam, ac robur adsumperit: naturâ tamen infirmitatis humanæ, tardiora sunt remedia, quâm mala; & ut corpora lentè augescunt, citò extinguuntur, sic ingenia studiaque oppresseris faciliùs, quâm revo- caveris. Subit quippe etiam ipsius inertiae dulcedo: & invisa primò desidia, postremò amatur. Quid si, per quindecim annos, grande mortalis ævi spatium, multi fortuitis casibus, promptissimus quisque sævitâ Principis interciderunt? Pauci, &, ut ita dixerim, non modò aliorum, sed etiam nostrâ superstites sumus; exemptis e mediâ vitâ tot annis, quibus ju- venes ad senectutem, senes propè ad ipsos exactæ ætatis terminos per silentium venimus: non tamen pigebit, vel in- conditâ ac rudi voce, memoriam prioris servitutis, ac testimonium præsentium

bonorum composuisse. Hic interim liber honori Agricolæ, socii mei, destinatus, professione pietatis aut laudatus erit, aut excusatus.

IV. Cnæus Julius Agricola, veteri & illustri Foro julienstium coloniâ ortus, utrumque avum procuratorem Cæsarum habuit: quæ equestris nobilitas est: pater Julius Græcinus senatorii ordinis, studio eloquentiæ sapientiæque notus, iisque virtutibus iram Caii Cæsaris meritus. Namque Marcum Silanum accusare jussus, &, quia abnuerat, imperfectus est. Mater Julia Procilla fuit, rarae castitatis: in hujus sinu indulgentiâque educatus, per omnem honestarum artium cultum pueritiam adolescentiamque transegit. Arcebat eum ab illecebris peccantium, præter ipsius bonam integrumque naturam, quod statim parvulus sedem ac magistrum studiorum Massiliam habuerit, locum Græcâ comitate & provinciali parcimonîa mistum, ac bene compositum. Memoriâ teneo, solitum ipsum narrare, « se in primâ juventâ studium philosophiæ acriùs, ultra quam concessum Romano ac senatori, hausisse, ni prudentia matris incensum ac flagrantem animum coercisset »: scilicet sublime & erectum

ingenium , pulchritudinem ac speciem excelsæ magnæque gloriæ vehementius , quām cautè , appetebat : mox mitigavit ratio & ætas : retinuitque , quod est difficillimum , ex sapientiâ modum.

V. PRIMA castrorum rudimenta in Britanniâ Suetonio Paullino , diligenti ac moderato duci , adprobavit : electus , quem contubernio æstimaret. Nec Agricola licenter , more juvenum , qui militiam in lasciviam vertunt , neque segniter , ad voluptates & commeatus , titulum tribunatûs & inscitiam retulit : sed noscere provinciam , nosci exercitui , discere a peritis , sequi optimos , nihil appetere jactatione , nihil ob formidinem recusare , simulque & anxius & intentus agere. Non sanè aliâs exercitatiōr , magisque in ambiguo Britannia fuit : trucidati veterani , incensæ coloniæ , intersepti exercitus : tum de salute , mox de victoriâ certavere. Quæ cuncta etsi consiliis ductuque alterius agebantur , ac summa rerum , & recuperatæ provinciæ gloria in ducem cessit ; artem & usum & stimulos addidere juveni : intravitque animum militaris gloriæ cupidio , ingrata temporibus , quibus sinistra erga eminentes interpretatio , nec minus periculum ex magnâ famâ , quām ex malâ.

VI. HINC ad capessendos magistratus in Urbem digressus, Domitiam Decidianam , splendidis natalibus ortam , sibi junxit : idque matrimonium ad majora nitenti decus ac robur fuit : vixeruntque mirâ concordiâ , per mutuam caritatem , & invicem se anteponendo , nisi quod in bonâ uxore tanto major laus , quanto in malâ plus culpæ est. Sors quæsturæ provinciam Asiam , proconsulem Salvium Titianum dedit ; quorum neutro corruptus est: quamquam & provincia dives , ac parata peccantibus , & proconsul , in omnem aviditatem pronus , quantumlibet facilitate redempturus esset mutuam dissimulationem mali. Auctus est ibi filiâ , in subsidium simul & solatium : nam filium , antè sublatum , brevi amisit. Mox inter quæsturam , ac tribunatum plebis , atque etiam ipsum tribunatûs annum quiete & otio transit , gnarus sub Nerone temporum , quibus inertia pro sapientiâ fuit. Idem præturæ tenor , & silentium : nec enim jurisdictione obvenerat. Ludos , & inania honoris , modo rationis atque abundantiae duxit , ut longè a luxuriâ , ita famæ propior. Tum electus a Galbâ ad dona templorum recognoscenda , diligentissimâ conquisitione fecit ,

ne cuius alterius sacrilegium respublica ,
quām Neronis sensisset.

VII. SEQUENS annus gravi vulnere
animum domumque ejus adflxit : nam
classis Othoniana , licenter vaga , dum
Intemelios (Liguriæ pars est) hostiliter
populatur , matrem Agricolæ in prædiis
suis interfecit : prædiaque ipsa , & magnam
patrimonii partem , diripuit , quæ causa
cædis fuerat. Igitur ad sollemnia pietatis
profectus Agricola , nuntio affectati a
Vespasiano imperii deprehensus , ac statim
in partes transgressus est. Initia principa-
tûs , ac statum Urbis Mucianus regebat ,
admodum juvē Domitiano , & ex pa-
ternâ fortunâ tantùm licentiam usurpante.
Is missum ad delectus agendos Agricolam ,
integreque ac strenuè versatum , vicesimæ
legioni tardè ad sacramentum transgressæ
præposuit , ubi decessor seditiosè agere
narrabatur : quippe legatis quoque con-
fularibus nimia ac formidolosa erat. Nec
legatus prætorius ad cohibendum potens ,
incertum suo an militum ingenio : ita
successor simul & ultor electus , rarissimâ
moderatione maluit videri invenisse bo-
nos , quām fecisse.

VIII. PRÆERAT tunc Britanniæ Vet-
tius Bolanus , placidiùs , quām feroci
C iv

provinciâ dignum est : temperavit Agricola vim suam, ardoremque compescuit, ne increaseret ; peritus obsequi, eruditusque utilia honestis miscere. Brevi deinde Britannia consularem Petilium Ceriale accepit. Habuerunt virtutes spatum exemplorum. Sed primò Cerialis labores modò & discrimina ; mox & gloriam communicabat : sàpe parti exercitùs in experimentum , aliquando majoribus copiis ex eventu præfecit : nec Agricola umquam in suam famam gestis exsultavit ; ad auctorem & ducem , ut minister , fortunam referebat : ita virtute in obsequendo , verecundiâ in prædicando , extra invidiā , nec extra gloriam erat.

IX. REVERTENTEM ab legatione legionis divus Vespasianus inter patricios adscivit , ac deinde provinciæ Aquitaniæ præposuit , splendidae in primis dignitatis , administratione ac spe consulatûs , cui destinariat. Credunt plerique militaribus ingeniis subtilitatem deesse , quia castrensis jurisdiction secura & obtusior , ac plura manu agens , calliditatem fori non exerceat. Agricola naturali prudentiâ , quamvis inter togatos , facile justéque agebat. Jam verò tempora curarum remissionumque divisa : ubi conventus ac judicia poscerent,

gravis, intentus, severus, & saepius misericors: ubi officio satisfactum, nulla ultrâ potestatis persona: tristitiam, & arrogantiam, & avaritiam exuerat: nec illi, quod est rarissimum, aut facilitas auctoritatem, aut severitas amorem diminuit. Integritatem atque abstinentiam in tanto viro referre, injuria virtutum fuerit. Ne famam quidem, cui etiam saepe boni indulgent, ostentandâ virtute, aut per artem quæsivit: procul ab æmulatione adversùs collegas, procul a contentione adversùs procuratores: & vincere inglorium, & atteri sordidum arbitrabatur. Minùs triennium in eâ legatione detentus, ac statim ad spem consulatûs revocatus est, comitante opinione Britanniam ei provinciam dari: nullis in hoc suis sermonibus, sed quia par videbatur. Haud semper errat fama, aliquando & elegit. Consul egregiæ tum spei filiam juveni mihi despondit, ac post consulatum collocavit, & statim Britannicæ præpositus est, adjecto pontificatûs sacerdotio.

X. BRITANNIÆ situm populosque, multis scriptoribus memoratos, non in comparationem curæ ingeniive referam; sed quia tum primùm perdomita est: itaque quæ priores nondum comperta,

eloquentiâ percoluere, rerum fide traden-
tur. Britannia, insularum, quas Romana
notitia complectitur, maxima, spatio ac
cælo in Orientem Germaniæ, in Occi-
dente Hispaniæ obtenditur: Gallis in
Meridiem etiam inspicitur: Septemtrio-
nalib[us] ejus, nullis contrâ terris, vasto
atque aperto mari pulsantur. Formam
totius Britanniæ Livius veterum, Fabius
Rusticus recentium, eloquentissimi auc-
tores, oblongæ scutulæ vel bipenni adsi-
mulavere: & est ea facies citra Caledo-
niā, unde & in universum fama est
transgressa: sed immensum & enorme
spatium procurentium extremo jam li-
tore terrarum, velut in cuneum tenuatur.
Hanc oram novissimi maris tunc primūm
Romana classis circumvecta, insulam esse
Britanniam adfirmavit, ac simul incogni-
tas ad id tempus insulas, quas Orcadas
vocant, invenit, domuitque: dispecta est
& Thule, quam hactenus nix, & hiems
abdebat: sed mare pigrum & grave remi-
gantibus perhibent: ne ventis quidem
perinde attolli: credo quòd rariores terræ
montesque, causa ac materia tempesta-
tum, & profunda moles continui maris
tardiùs impellitur. Naturam Oceani atque
extus neque quærere hujus operis est, ac

multi retulere : unum addiderim , nusquam latius dominari mare , multum flumen huc atque illuc ferre , nec litore tenus accrescere aut resorberi , sed influere penitus atque ambire , & jugis etiam ac montibus inferi velut in suo.

XI. CETERUM , Britanniam qui mortales initio coluerint , indigenæ an advecti , ut inter barbaros , parum compertum. Habitus corporum varii : atque ex eo argumenta : namque rutilæ Caledoniam habitantium comæ , magni artus , Germanicam originem adseverant. Silurum colorati vultus , & torti plerumque crines , & posita contrà Hispania , Iberos veteres trajecisse , easque sedes occupasse fidem faciunt : proximi Gallis , & similes sunt : seu durante originis vi ; seu , procurrentibus in diversa terris , positio cæli corporibus habitum dedit : in universum tamen æstimanti , Gallos vicinum solum occupasse , credibile est. Eorum sacra deprehendas , superstitionum persuasione : sermo haud multum diversus : in depositis periculis eadem audacia ; & , ubi advenere , in detrectandis eadem formido : plus tamen ferociæ Britanni præferunt , ut quos nondum longa pax emollierit : nam Gallos quoque in bellis floruisse ac-

cepimus: mox segnitia cum otio intravit, amissâ virtute pariter ac libertate: quod Britannorum olim victis evenit: ceteri manent, quales Galli fuerunt.

XII. IN PEDITE robur: quædam nationes & curru prælianturn: honestior auriga, clientes propugnant: olim regibus parebant, nunc per principes factionibus & studiis trahuntur: nec aliud adversus validissimas gentes pro nobis utilius, quam quod in commune non consulunt. Rarus duabus tribusve civitatibus, ad propulsandum commune periculum conventus: ita, dum singuli pugnant, universi vincuntur. Cælum crebris imbribus ac nebulis fœdum: asperitas frigorum abest. Dierum spatia ultra nostri orbis mensuram: nox clara, & extremâ Britanniæ parte brevis, ut finem atque initium lucis exiguo discrimine internoscas. «Quod si nubes non officiant, aspici per noctem Solis fulgorem, nec occidere & exsurgere, sed transire» adfirmant: scilicet extrema & plana terrarum, humili umbrâ, non erigunt tenebras, infraque cælum & sidera nox cadit. Solum, præter oleam vitemque, & cetera calidioribus terris oriri sueta, patiens frugum, secundum: tardè mitescunt, citò proveniunt: eadem-

que utriusque rei causa , multus humor terrarum , cælique. Fert Britannia aurum , & argentum , & alia metalla , pretium victoriæ : gignit & Oceanus margarita , sed subfuscæ ac liventia. Quidam artem abesse legentibus arbitrantur , nam in rubro mari viva ac spirantia saxis avelli , in Britanniâ , prout expulsa sint , colligi : ego facilius crediderim naturam margaritis deesse , quam nobis avaritiam.

XIII. IPSI Britanni delectum , ac tributa , & injuncta imperii munera impigre obeunt , si injuriæ absint : has ægre tolerant , jam domiti ut pareant , nondum ut serviant. Igitur primus omnium Romanorum divus Julius cum exercitu Britanniam ingressus , quamquam prosperâ pugnâ terruerit incolas , ac litore potitus fit , potest videri ostendisse posteris , non tradidisse. Mox bella civilia , & in rem publicam versa Principum arma , ac longa oblivio Britoniæ etiam in pace. « Consilium » id divus Augustus vocabat , Tiberius « præceptum ». Agitasse Caium Cæsarem de intrandâ Britanniâ satis constat , ni velox ingenio , mobilis pænitentiâ , & ingentes adversùs Germaniam conatus frustra fuissent. Divus Claudius auctor operis , transvectis legionibus auxiliisque ,

& adsumpto in partem rerum Vespasiano: quod initium venturæ mox fortunæ fuit: domitæ gentes, capti reges, & monstratus fatis Vespasianus.

XIV. CONSULARIUM primus Aulus Plautius præpositus, ac subinde Ostorius Scapula, uterque bello egregius: redactaque paullatim in formam provinciæ proxima pars Britanniæ: addita insuper veteranorum colonia: quædam civitates Cogiduno regi donatæ (is ad nostram usque memoriam fidissimus mansit) vetere ac jam pridem receptâ populi Romani consuetudine, ut haberet instrumenta servitutis & reges. Mox Didius Gallus parta a prioribus continuit, paucis admodum castellis in ulteriora promotis, per quæ fama aucti officii quæreretur. Didium Veranius excepit, isque intra annum extinctus est. Suetonius hinc Paullinus biennio prosperas res habuit, subactis nationibus, firmatisque præsidiis: quorum fiduciâ Monam insulam, ut vires rebelibus ministrantem, adgressus, terga occcasioni patefecit.

XV. NAMQUE absentiâ legati remoto metu, Britanni agitare inter se mala servitutis, conferre injurias, & interpretando accendere. « Nihil profici patientiâ,

» nisi ut graviora , tamquam ex facili
» tolerantibus , imperentur : singulos sibi
» olim reges fuisse , nunc binos imponi ;
» e quibus legatus in sanguinem , procu-
» rator in bona sæviret : æquè discordiam
» præpositorum , æquè concordiam sub-
» jectis exitiosam : alterius manus , cen-
» turiones alterius , vim & contumelias
» miscere : nihil jam cupiditati , nihil
» libidini exceptum : in prælio fortiorem
» esse , qui spoliat : nunc ab ignavis ple-
» rumque & imbellibus eripi domos ,
» abstrahi liberos , injungi delectus , tam-
» quam mori tantùm pro patriâ nescienti-
» bus : quantulum enim transisse militum ,
» si sese Britanni numerent ? sic Germa-
» nias excussisse jugum ; & flumine , non
» Oceano , defendi : sibi patriam , con-
» juges , parentes , illis avaritiam & luxu-
» riā causas belli esse : recessuros , ut
» divus Julius recessisset , modò virtutes
» majorum suorum æmularentur ; neve
» prælii unius aut alterius eventu paves-
» cerent : plus impetus , majorem con-
» tantiam penes miseris esse. Jam Britan-
» norum etiam deos misereri , qui Ro-
» manum ducem absentem , qui relega-
» tum in aliâ insulâ exercitum detinerent :
» jam ipsos , quod difficillimum fuerit ,

»deliberare : porro in ejusmodi consiliis
»periculosius esse deprehendi , quam au-
»dere ».

XVI. His atque talibus invicem ins-
tincti , Boudiceâ , generis regii feminâ ,
duce (neque enim sexum in imperiis dis-
cernunt) sumptere universi bellum : ac
sparsos per castella milites consecuti ,
expugnatis præsidiis , ipsam coloniam
invasere , ut sedem servitutis : nec ullum
in barbaris fævitiae genus omisit ira &
victoria. Quòd nisi Paullinus , cognito
provinciæ motu , properè subvenisset ;
amissa Britannia foret : quam unius præclii
fortuna veteri patientiæ restituit , tenen-
tibus arma plerisque , quos conscientia
defectionis , & propriùs ex legato timor
agitabat. Hic cùm egregius cetera , arro-
ganter in deditos , & , ut suæ quoque
injuriæ ultor , durius consulueret ; missus
Petronius Turpilianus , tamquam exora-
bilius : & delictis hostium novus , eoque
pænitentiæ mitior , compositis prioribus ,
nihil ultrà ausus , Trebellio Maximo pro-
vinciam tradidit. Trebellius segnior &
nullis castrorum experimentis , comitate
quâdam curandi provinciam tenuit. Di-
dicere jam barbari quoque ignoscere vitiis
blandientibus : & interventus civilium

armorum præbuit justam segnitiae excusationem : sed discordia laboratum , cùm adsuetus expeditionibus miles otio lasciviret. Trebellius , fugâ ac latebris vitatâ exercitûs irâ , indecorus atque humilis , precariò mox præfuit : ac velut pauci , exercitus licentiam , dux salutem : hæc seditio sine sanguine stetit. Nec Vertius Bolanus , manentibus adhuc civilibus bellis , agitavit Britanniam disciplinâ. Eadem inertia erga hostes , similis pecculantia castrorum : nisi quod innocens Bolanus , & nullis delictis invisus , caritatem paraverat loco auctoritatis.

XVII. SED ubi cum cetero orbe Vespasianus & Britanniam reciperavit ; magni duces , egregii exercitus , minuta hostium spes : & terrorem statim intulit Petilius Cerialis , Brigantum civitatem , quæ numerosissima provinciæ totius perhibetur , adgressus : multa prælia , & aliquando non incruenta : magnamque Brigantum partem aut victoriâ amplexus , aut bello. Et cùm Cerialis quidem alterius successoris curam famamque obruiisset , sustinuit quoque molem Julius Frontinus , vir magnus , quantum licebat , validamque & pugnacem Siluruim gentem armis subegit ; super virtutem hostium , lo-

eorum quoque difficultates eluctatus.

XVIII. Hunc Britanniae statum, has bellorum vices mediâ jam æstate transgressus Agricola invenit, cùm & milites, velut omissâ expeditione, ad securitatem, & hostes ad occasionem verterentur. Ordovicum civitas haud multò ante adventum ejus, aliam, in finibus suis agentem, propè universam obtriverat: eoque initio erecta provincia, & quibus bellum voluntibus erat, probare exemplum, aut recentis legati animum opperiri. Tum Agricola, quamquam transacta æstas, sparsi per provinciam numeri, præsumpta apud militem illius anni quies, tarda & contraria bellum inchoaturo, & plerisque custodiri suspecta potius videbatur, ire obviâm discrimini statuit: contractisque legionum vexillis & modicâ auxiliorum manu, quia in æquum degredi Ordovices non audebant, ipse ante agmen, quò ceteris par animus simili periculo esset, erexit aciem: cæsâque propè universâ gente, non ignarus instandum famæ, ac, prout prima cessissent, fore universa; Monam insulam, cuius possessione revo- catum Paullinum rebellione totius Britan- niæ suprà memoravi, redigere in potesta- tem animo intendit. Sed, ut in dubiis

consiliis , naves deerant : ratio & constantia ducis transvexit. Depositis omnibus sarcinis , lectissimos auxiliarium , quibus nota vada , & patrius nandi usus , quo simul seque , & arma , & equos regunt , ita repente immisit , ut obstupefacti hostes , qui classem , qui naves , qui mare exspectabant , nihil arduum aut invictum crediderint sic ad bellum venientibus. Ita petitâ pace , ac deditâ insulâ , clarus ac magnus haberি Agricola : quippe cui ingredienti provinciam , quod tempus alii per ostentationem , aut officiorum ambitum transigunt , labor & periculum placuisset. Nec Agricola , prosperitate rerum in vanitatem usus , expeditionem aut victoriam vocabat , victos continuuisse : ne laureatis quidem gesta prosecutus est : sed ipsâ dissimulatione famæ famam auxit , æstimantibus quantâ futuri spe tam magna tacuisset.

XIX. CETERUM animorum provinciæ prudens , simulque doctus per aliena experimenta , parum profici armis , si injuriæ sequerentur , causas bellorum statuit excindere. A se suisque orsus , primam domum suam coercuit ; quod plerisque haud minus arduum est , quam provinciam regere. Nihil per libertos servosque

publicæ rei : non studiis privatis , nec ex commendatione , aut precibus centurionum milites adscire , sed optimum quemque fidelissimum putare : omnia scire ; non omnia exsequi : parvis peccatis veniam , magnis severitatem commodare : nec pœnâ semper , sed sæpius pœnitentiâ contentus esse : officiis & administratiōnibus potius non peccaturos præponere , quam damnare , cùm peccassent. Fru-
menti & tributorum auctionem æqualitate munerum mollire , circumcisim , quæ in quæstum reperta , ipso tributo gravius tolerabantur : namque per ludibrium ad-
sidere clausis horreis , & emere ultro frumenta , ac vendere pretio cogebantur : devortia itinerum & longinquitas regio-
num indicebatur , ut civitates a proximis hibernis in remota & avia deferrent , donec , quod omnibus in promptu erat , paucis lucrosum fieret.

XX. Hæc primo statim anno com-
primendo , egregiam famam paci cir-
cumdedit ; quæ vel incuriâ , vel tolerantiâ priorum , haud minius quam bellum ti-
mebatur. Sed ubi æstas advenit , contracto exercitu , multus in agmine , laudare mo-
destiam , disjectos coercere : loca castris ipse capere , æstuaria ac silvas ipse præ-

tentare: & nihil interim apud hostes quietum pati, quominus subitis excursibus popularetur: atque ubi satis terruerat, parcendo rursus irritamenta pacis ostentare. Quibus rebus multæ civitates, quæ in illum diem ex æquo egerant, datis obsidibus, iram posuere, & præsidiis castellisque circumdatae, tantâ ratione curâque, ut nulla antè Britanniæ nova pars inlacessita transferit.

XXI. SEQUENS hiems saluberrimis consiliis absumpta: namque ut homines dispersi ac rudes, eoque bello faciles, quieti & otio per voluptates adsuescerent; hortari privatim, adjuvare publicè, ut templa, fora, domus exstruerent, laudando promptos, & castigando segnes: ita honoris æmulatio pro necessitate erat. Jam verò principum filios liberalibus artibus erudire, & ingenia Britannorum studiis Gallorum anteferre, ut qui modò linguam Romanam abnuebant, eloquentiam concupiscerent: inde etiam habitus nostri honor, & frequens toga: paullatimque discessum ad delinimenta vitiorum, porticus, & balnea, & conviviorum elegantiam: idque apud imperitos «humanitas» vocabatur, cùm pars feritutis esset.

XXII. TERTIUS expeditionum annus novas gentes aperuit , vastatis usque ad Taum (æstuario nomen est) nationibus : quâ formidine territi hostes , quamquam conflictatum sævis tempestatibus exercitum , laceſſere non ausi : ponendisque insuper castellis ſpatium fuit. Adnotabant periti , non alium ducem opportunitates locorum sapientius legiſſe : nullum ab Agricolâ positum castellum aut vi hostium expugnatum , aut pactione ac fugâ defertum. Crebræ eruptiones : nam aduersus moras obſidionis , annuis copiis firmando bantur : ita intrepida ibi hiems , & ſibi quisque præſidio , inritis hostibus , eoque desperantibus , quia ſoliti plerumque damna æſtatis hibernis eventibus penſare , cum æſtate atque hieme juxta pellebantur. Nec Agricola umquam per alios gesta avidus intercepit : ſeu centurio , ſeu præfectus , incorruptum facti testem habebat. Apud quosdam acerbior in conviciis narrabatur : ut erat bonis comis , ita aduersus malos injucundus : ceterū ex iracundiâ nihil ſupererat : ſecretum & silentium ejus non timeres : honestius putabat offendere , quām odiſſe.

XXIII. QUARTA æſtas obtinendis , quæ percurrerat , inſumpta : ac ſi virtus

exercituum & Romani nominis gloria pateretur, inventus in ipsâ Britanniâ terminus. Nam Clota & Bodotria, diversi maris æstibus per immensum revectæ, angusto terrarum spatio dirimuntur: quod tum præsidiis firmabatur: atque omnis propior sinus tenebatur, summotis velut in aliam insulam hostibus.

XXIV. QUINTO expeditionum anno, nave primâ transgressus, ignotas ad id tempus gentes crebris simul ac prosperis præliis domuit: eamque partem Britanniae, quæ Hiberniam aspicit, copiis instruxit, in spem magis, quam ob formidinem: siquidem Hibernia, medio inter Britanniam atque Hispaniam sita, & Gallico quoque mari opportuna, valentissimam imperii partem magnis invicem usibus miscuerit. Spatium ejus, si Britanniae comparetur, angustius, nostri maris insulas superat. Solum cælumque, & ingenia cultusque hominum haud multùm a Britanniâ differunt: melius aditus portusque per commercia & negotiatores cogniti. Agricola expulsum seditione domesticâ unum ex regulis gentis exceperat, ac specie amicitiæ in occasionem retinebat. Sæpe ex eo audivi, legione unâ & modicis auxiliis debellari obtinerique

Hiberniam posse. Idque etiam adversus Britanniam profuturum, si Romana ubique arma, & velut e conspectu libertas tolleretur.

XXV. CETERUM æstate, quâ sextum officii annum inchoabat, amplexus civitates trans Bodotriam sitas, quia motus universarum ultrà gentium, & infesta hostili exercitu itinera timebantur, portus classe exploravit: quæ ab Agricolâ primùm adsumpta in partem virium, sequebatur egregiâ specie, cùm simul terrâ, simul mari bellum impelleretur, ac sâpe iisdem castris pedes, equesque, & nauticus miles, mixti copiis & lâtitia, sua quisque facta, suos casus attollerent: ac modò « silvarum & montium profunda», modò « tempestatum ac fluctuum adversa», hinc « terra & hostis», hinc « auctus Oceanus» militari jactantiâ compararentur. « Britanos» quoque, ut ex captivis audiebatur, « visa classis obstupefaciebat, tamquam, aperto maris sui secreto, ultimum victis perfugium clauderetur». Ad manus & arma conversi Caledoniam incolentes populi, paratu magno, majore famâ, uti mos est de ignotis, « oppugnasse ultro», castella adorti, metum, ut provocantes, addiderant: « regrediendumque citra Bodotriam,

» Bodotriam , & excedendum potius ,
 » quām pellerentur », ignavi specie pru-
 dentium admonebant : cūm interim co-
 gnoscit , « hostes pluribus agminibus in-
 » rupturos ». Ac ne superante numero ,
 & peritiā locorum circumiretur , diviso
 & ipse in tres partes exercitu incessit .

XXVI. Q U O D ubi cognitum hosti ,
 mutato repente consilio , universi nonam
 legionem , ut maximē invalidam , nocte
 adgressi , inter somnum ac trepidationem
 cæsis vigilibus , inrupere . Jamque in ipsis
 castris pugnabant , cūm Agricola , iter
 hostium ab exploratoribus edoctus , &
 vestigiis infecutus , velocissimos equitum
 peditumque adsultare tergis pugnantium
 jubet , mox ab universis adjici clamorem :
 & propinquâ luce fulsere signa : ita anci-
 piti malo territi Britanni : & Romanis
 redit animus ; ac securi pro salute , de
 gloriā certabant : ultiro quinetiam erupere :
 & fuit atrox in ipsis portarum angustiis
 prælium , donec pulsī hostes ; utroque
 exercitu certante , his , ut tulisse opem ,
 illis , ne eguisse auxilio viderentur : quòd
 nisi paludes & silvæ fugientes texissent ,
 debellatum illâ victoriâ foret .

XXVII. C U J U S constantiâ ac famâ
 ferox exercitus , « nihil virtuti suæ invium :

„penetrandam Caledoniam , invenient
dumque tandem Britanniæ terminum ,
continuo præliorum cursu „ , freme-
bant : atque illi modò cauti ac sapientes ,
prompti post eventum ac magniloqui
erant : iniquissima hæc bellorum conditio
est : prospera omnes sibi vindicant , ad-
versa uni imputantur. At Britanni non
virtute , sed occasione & arte ducis rati ,
nihil ex arrogantiâ remittere , quominus
juventutem armarent , conjuges ac liberos
in loca tuta transferrent , cœtibus ac
sacrificiis conſpirationem civitatum fan-
cirent : atque ita irritatis utrimque animis
diſceſſum.

XXVIII. EADEM æſtate cohors Usipio-
rum , per Germanias conſcripta , & in
Britanniam transmissa , magnum ac me-
morable facinus aūſa eſt. Occiso centu-
rione ac militibus , qui ad tradendam
disciplinam immixti manipulis , exem-
plum & rectores habebantur , tres libur-
nicas , adactis per vim gubernatoribus ,
ascendere : & uno remigrante , ſuceptis
duobus eoque interfectis , nondum vul-
gato rumore , ut miraculum proveheban-
tur : mox hæc atque illà rapti , & cum
plerisque Britannorum , ſua defenſan-
tium , prælio congressi , ac ſæpe victores ,

aliquando pulsi , eò ad extremum inopiæ venere , ut infirmissimos suorum , mox forte ductos vescerentur : atque ita circumvecti Britanniam , amissis per inscitiam regendi navibus , pro prædonibus habití , primùm a Suevis , mox a Frisiis intercepti sunt : ac fuere , quos per commercia venuimdatos , & in nostram usque ripam mutatione ementium adductos , indicium tanti casūs inlustravit. Initio æstatis Agricola , domestico vulnere ictus , anno antè natum filium amisit. Quem casum neque , ut plerique fortium virorum , ambitiosè , neque per lamenta rursus ac mætorem muliebriter tulit : & in luctu bellum inter remedia erat.

XXIX. Igitur præmissâ classe , quæ pluribus locis prædata , magnum & incertum terrorem faceret , expedito exercitu , cui ex Britannis fortissimos , & longâ pace exploratos addiderat , ad montem Grampium pervenit quem jam hostes infederant. Nam Britanni , nihil fracti pugnæ prioris eventu , & ultionem aut servitium exspectantes , tandemque docti , communе periculum concordiâ propulsandum , legationibus & fœderibus omnium civitatum vires exciverant. Jamque super triginta millia armatorum aspiciebantur ,
D ij

& adhuc adfluebat omnis juventus, & quibus cruda ac viridis senectus, clari bello, ac sua quisque decora gestantes: cùm inter plures duces virtute & genere præstans, nomine Calgacus, apud contractam multitudinem, prælium poscentem, in hunc modum locutus fertur.

XXX, « QUOTIENS causas belli &
» necessitatem nostram intueor, magnus
» mihi animus est, hodiernum diem,
» consensumque vestrum, initium liber-
» tatis totius Britanniæ fore. Nam & uni-
» versi servitutis expertes, & nullæ ultrà
» terræ, ac ne mare quidem securum,
» imminente nobis classe Romanâ: ita
» prælium atque arma, quæ fortibus ho-
» nesta, eadem etiam ignavis tutissima
» sunt. Piores pugnæ, quibus adversus
» Romanos variâ fortunâ certatum est,
» spem ac subsidium in nostris manibus
» habebant: quia nobilissimi totius Bri-
» tanniæ, eoque in ipsis penetralibus siti,
» nec servientium litora aspicientes, oculos
» quoque a contactu dominationis invio-
» latos habebamus. Nos, terrarum ac li-
» bertatis extremos, recessus ipse ac finus
» famæ in hunc diem defendit: nunc ter-
» minus Britanniæ patet: atque omne
» ignotum pro magnifico est. Sed nulla

»jam ultrà gens , nihil nisi fluctus & saxa ,
»& infestiores Romani : quorum super-
»biam frustra per obsequium & modeſ-
»tiam effugeris : raptoreſ orbis , postquam
»cuncta vastantibus defuere terræ , &
»mare ſcrutantur : ſi locuples hostis eſt ;
»avari : ſi pauper , ambitioſi : quos non
»Oriens , non Occidens , ſatiaverit : ſoli
»omnium , opes atque inopiam pari af-
»fectu concupiſcunt : auferre , trucidare ,
»rapere falsis nominibus , *imperium* ;
»atque ubi ſolitudinem faciunt , *pacem*
»appellant ».

XXXI. « LIBEROS cuique ac propin-
»quos ſuos natura cariſſimos eſſe voluit :
»hi per delectus , alibi ſervituti , aufer-
»runtur : conjuſes foro reſque etiſi hostilem
»libidinem effugiant , nomine *amicorum*
»atque *hospitum* polluuntur. Bona fortu-
»nasque in tributum egerunt ; in annonam
»frumentum : corpora ipſa ac manus ,
»ſilvis ac paludibus emuniendis , inter
»verbera ac contumelias , conterunt. Nata
»ſervituti mancipia ſemel veneunt , atque
»ultro a dominis aluntur : Britannia fer-
»vitatem ſuam quotidie emit , quotidie
»pafcit. Ac ſicut in familiâ recentiſſimus
»quiſque ſervorum & conſervis ludibrio
»eſt : ſic in hoc orbis terrarum vetere

» famulatu, novi nos & viles in excidium
 » petimur. Neque enim arva nobis, aut
 » metalla, aut portus sunt, quibus exer-
 » cendis reservemur. Virtus porro ac fe-
 » rocia subiectorum ingrata imperantibus:
 » & longinquitas ac secretum ipsum, quò
 » tutius, eò suspectius. Ita sublatâ spe
 » veniæ, tandem sumite animum, tam
 » quibus salus, quàm quibus gloria carif-
 » sima est. Trinobantes, feminâ duce,
 » exurere coloniam, expugnare castra,
 » ac, nisi felicitas in socordiam vertisset,
 » exuere jugum potuere: nos integri &
 » indomiti, & libertatem non in præsen-
 » tiâ laturi, primo statim congressu non
 » ostendamus quos sibi Caledonia viros
 » seposuerit»?

XXXII. « A N eamdem Romanis in
 » bello virtutem, quam in pace lasciviam
 » adesse creditis? Nostris illi dissensionibus
 » ac discordiis clari, vitia hostium in glo-
 » riam exercitûs sui vertunt: quem con-
 » tractum ex diversissimis gentibus, ut
 » secundæ res tenent, ita adversæ dissol-
 » vent: nisi si Gallos, & Germanos, &
 » (pudet dictu) Britannorum plerosque,
 » licet dominationi alienæ sanguinem
 » commodent, diutiùs tamen hostes quàm
 » servos, fide & affectu teneri putatis:

»metus & terror est , infirma vincula
»caritatis : quæ ubi removeris , qui timere
»desierint , odiſſe incipient. Omnia vic-
»toriæ incitamenta pro nobis sunt : nullæ
»Romanos conjuges accendunt : nulli
»parentes fugam exprobraturi sunt : aut
»nulla plerisque patria , aut alia est : paucos
»numero , circum trepidos ignorantia ,
»cælum ipsum , ac mare , & silvas , ignota
»omnia circumspectantes , clausos quo-
»dammodo ac vincitos dii nobis tradide-
»runt. Ne terreat vanus aspectus , & auri
»fulgor atque argenti , quod neque tegit ,
»neque vulnerat. In ipsâ hostium acie
»inveniemus nostras manus : agnoscent
»Britanni suam causam : recordabuntur
»Galli priorem libertatem : deferent illos
»ceteri Germani , tamquam nuper Usipii
»reliquerunt. Nec quidquam ultrà for-
»midinis : vacua castella , senum coloniæ,
»inter malè parentes & injustè imperan-
»tes , ægra municipia & discordantia :
»hic dux , hic exercitus : ibi tributa &
»metalla , & ceteræ servientium pœnæ ,
»quas in æternum proferre , aut statim
»ulcisci , in hoc campo est. Proinde ituri
»in aciem , & majores vestros , & posteros
»cogitate ».

XXXIII. EXCEPERE orationem alacres,

D iv

& barbari moris cantu , & fremitu , clamoribusque dissonis. Jamque agmina , & armorum fulgores , audentissimi cujusque procursu : simul instruebantur acies : cum Agricola , quamquam lætum & vix munitis coercitum militem accendendum adhuc ratus , ita differuit : « Octavus annus est , commilitones , ex quo virtute & auspiciis imperii Romani , fide atque operâ vestrâ Britanniam vicistis : tot expeditionibus , tot præliis , seu fortitudine adversus hostes , seu patientiâ ac labore pæne adversus ipsam rerum naturam opus fuit , neque me militum , neque vos ducis pænituit. Ergo egressi , ego veterum legatorum , vos priorum exercituum terminos , finem Britanniæ , non famâ , nec rumore , sed castris & armis tenemus. Inventa Britannia , & subacta. Evidem sæpe in agmine , cum vos palludes , montesve , & flumina fatigarent , fortissimi cujusque voces audiebam , quando dabitur hostis , quando acies ? Veniunt e latebris suis extrusi : & vota virtusque in aperto , omniaque prona victoribus , atque eadem victis adversa. Nam ut superasse tantum itineris , silvas evasisse , transisse æstuaria , pulchrum ac decorum in frontem ; ita fugientibus

»periculosisima, quæ hodie prosperrima
»sunt. Neque enim nobis aut locorum
»eadem notitia, aut commeatuum eadem
»abundantia: sed manus, & arma, &
»in his omnia. Quod ad me attinet,
»jam pridem mihi decretum est, neque
»exercitūs, neque ducis terga tuta esse.
»Proinde & honesta mors turpi vitâ po-
»tior; & incolumentis ac decus, eodem
»loco sita sunt: nec inglorium fuerit,
»in ipso terrarum ac naturæ fine ceci-
»disse».

XXXIV. « Si novæ gentes atque ignota
»acies constitisset; aliorum exercituum
»exemplis vos hortarer: nunc vestra de-
»cora recensete, vestros oculos interro-
»gate. Ii sunt, quos proximo anno, unam
»legionem furto noctis adgressos, clamore
»debellastis: ii ceterorum Britannorum
»fugacissimi: ideoque tamdiu superstites.
»Quomodo silvas saltusque penetranti-
»bus, fortissimum quodque animal contrâ
»ruere, pavida & inertia ipso agminis
»sono pelluntur; sic acerrimi Britannoi-
»rum jam pridem ceciderunt: reliquus
»est numerus ignororum & metuentium:
»quos quid tandem invenistis, non ref-
»titerunt, sed deprehensi sunt novissimi:
»res & extremo metu corpora defixere in-

» his vestigiis , in quibus pulchram &
» spectabilem victoriam ederetis. Tran-
» sigite cum expeditionibus , imponite
» quinquaginta annis magnum diem , ad-
» probate reipublicæ numquam exercitui
» imputari potuisse , aut moras belli , aut
» causas rebellandi ».

XXXV. Et adloquente adhuc Agricola militum ardor eminebat , & finem orationis ingens alacritas consecuta est , statimque ad arma discursum. Instinctos ruentesque ita disposuit , ut peditum auxilia , quæ octo millia erant , medium aciem firmarent : equitum tria millia , cornibus adfunderentur : legiones pro vallo stetere , ingens victoriæ decus citra Romanum sanguinem bellanti , & auxilium , si pellerentur. Britannorum acies in speciem simul ac terrorem editioribus locis constiterat , ita ut primum agmen æquo , ceteri per acclive jugum connexi velut insurgerent : media campi covinarius & eques strepitu ac discursu complebat. Tum Agricola , superante hostium multitudine , veritus , ne simul in frontem , simul & latera suorum pugnaretur , diductis ordinibus , quamquam porrectior acies futura erat , & arcessendas plerique legiones admonebant , promptior in spem , &

firmus adversis , dimisso equo pedes ante vexilla constituit.

XXXVI. Ac primo congressu eminus certabatur : simul constantiam , simul arte Britanni , ingentibus gladiis , & brevibus ceteris , misilia nostrorum vitare , vel excutere , atque ipsi magnam vim telorum superfundere : donec Agricola tres Batavorum cohortes , ac Tungrorum duas cohortatus est , ut rem ad mucrones ac manus adducerent : quod & ipsis vetustate militiae exercitatum , & hostibus inhabile parva scuta & enormes gladios gerentibus : nam Britannorum gladii sine mucrone complexum armorum , & in arcto pugnam non tolerabant. Igitur , ut Batavi miscere iactus , ferire umberibus , ora fœdere , & tractis , qui in æquo obstant , erigere in colles aciem cœpere ; ceteræ cohortes , æmulatione & impetu commissæ , proximos quoisque cädere : ac plerique semineces , aut integri , festinatione victoriæ relinquebantur. Interim equitum turmæ fugere , covinarii peditum se prælio miscuere : & quamquam recentem terrorem intulerant , densis tamen hostium agminibus , & inæqualibus locis hærebant : minimèque equestris ea pugnæ facies erat , cùm ægre diu stantes , simul

equorum corporibus impellerentur, ac
sæpe vagi currus, exterriti sine rectoribus
equi, ut quemque formido tulerat, trans-
versos, aut obvios incurfabant.

XXXVII. Et Britanni, qui adhuc pu-
gnæ expertes summa collium insederant,
& paucitatem nostrorum vacui sperne-
bant, degredi paullatim, & circumire
terga vincentium cœperant: ni id ipsum
veritus Agricola quatuor equitum alas,
ad subita belli retentas, venientibus op-
posuisset, quantoque ferocius accurrerant,
tantò acrius pulsos in fugam disjecisset. Ita
consilium Britannorum in ipsos versum:
transvectæque præcepto ducis a fronte
pugnantium alæ, aversam hostium aciem
invasere. Tum verò patentibus locis grande
& atrox spectaculum: sequi, vulnerare,
capere, atque eosdem, oblatis aliis, tru-
cidare. Jam hostium, prout cuique inge-
nium erat, catervæ armatorum paucio-
ribus terga præstare, quidam inermes
ultra ruere, ac se morti offerre. Passim
arma, & corpora, & laceri artus, &
cruenta humus: & aliquando etiam victis
ira virtusque: postquam silvis appropin-
quarunt, collecti, primos sequentium,
incautos & locorum ignaros, circum-
veniebant. Quod ni frequens ubique

Agricola, validas & expeditas cohortes indaginis modo, & sicubi arctiora erant, partem equitum, dimissis equis, simul rariores silvas equitem persultare jussisset, acceptum aliquod vulnus per nimiam fiduciam foret. Ceterum, ubi compositos firmis ordinibus sequi rursus videre, in fugam versi, non agminibus, ut prius, nec aliis alium respectantes, rari, & vitabundi invicem, longinqua atque avia petiere: finis sequendi nox & satietas fuit: cæsa hostium ad decem millia: nostrorum trecenti sexaginta cecidere: in quib[us] Aulus Atticus, præfectus cohortis, juvenili ardore & ferociâ equi hostibus illatus.

XXXVIII. Et nox quidem gaudio prædâque læta victoribus: Britanni pallentes, mixtoque virorum mulierumque ploratu, trahere vulneratos, vocare integrros, deserere domos, ac per iram ultro incendere: eligere latebras, & statim relinquere: miscere invicem consilia aliqua, dein separare: aliquando frangi aspectu pignorum suorum, sæpius concitari: satisque constabat sævisse quosdam in conjuges ac liberos, tamquam miserentur. Proximus dies faciem victoriæ latius aperuit: vastum ubique silentium, secreti colles, fumantia procul tecta,

nemo exploratoribus obvius : quibus in omnem partem dimissis, ubi incerta fugæ vestigia, neque usquam congregari hostes compertum, & exactâ jam æstate spargi bellum nequibat, in fines Horestorum exercitum ducit. Ibi acceptis obsidibus, præfecto classis « circumvehi Britanniam » præcepit : datæ ad id vires, & præcesserat terror : ipse peditem atque equites lento itinere, quò novarum gentium animi ipsâ transitûs morâ terrentur, in hibernis locavit. Et simul classis secundâ tempestate ac famâ Trutulensem portum tenuit, unde proximo latere Britanniæ lecto omnis redierat.

XXXIX. Hunc rerum cursum, quamquam nullâ verborum jactantiâ epistolis Agricolæ auctum, ut Domitiano moris erat, fronte latus, pectore anxius excepit. Inerat conscientia, derisui fuisse nuper falsum e Germaniâ triumphum, emptis per commercia, quorum habitus & crines in captivorum speciem formarentur : at nunc veram magnamque victoriam, tot millibus hostium cæsis, ingenti famâ celebrari. Id sibi maximè formidolosum, privati hominis nomen supra Principis attolli : frustra studia fori, & civiliuni artium decus in silentium acta, si mili-

tarem gloriam alius occuparet : & cetera utcumque facilius dissimulari , ducis boni Imperatoriam virtutem esse. Talibus curis exercitus , quodque sœvæ cogitationis indicium erat, secreto suo satiatus, optimum in præsentia statuit , reponere odium , donec impetus famæ & favor exercitūs languesceret : nam etiam tum Agricola Britanniam obtinebat.

XL. Igitur « triumphalia ornamenta , » & illustris statuæ honorem , & quidquid » pro triumpho datur » , multo verborum honore cumulata , decerni in senatu jubet , addique insuper opinionem , Syriam provinciam Agricolæ destinari , vacuam tum morte Atilii Rofi consularis , & majoribus reservatam. Credidere plerique libertum ex secretioribus ministeriis missum ad Agricolam , codicillos , quibus ei Syria dabatur , tulisse , cum præcepto , ut , si in Britanniâ foret , traderentur : eumque libertum in ipso freto Oceani obvium Agricolæ , ne appellato quidem eo , ad Domitianum remeasse : sive verum istud , sive ex ingenio Principis fictum ac compositum est. Tradiderat interim Agricola successori suo provinciam quietam tutamque. Ac ne notabilis celebritate & frequentia occurrentium introitus esset ,

vitato amicorum officio , noctu in Urbem ,
noctu in palatium , ita ut præceptum erat ,
venit : exceptusque brevi osculo , & nullo
sermone , turbæ servientium immixtus
est. Ceterūm ut militare nomen , grave
inter otiosos , aliis virtutibus temperaret ,
tranquillitatem atque otium penitus auxit ,
cultu modicus , sermone facilis , uno aut
altero amicorum comitatus : adeò ut ple-
riique , quibus magnos viros per ambitio-
nem aestimare mos est , viso aspectoque
Agricolâ , quererent famam , pauci in-
terpretarentur.

XLI. CREBRO per eos dies apud
Domitianum absens accusatus , absens
absolutus est : causa periculi non crimen
ullum , aut querela læsi cujusquam , sed
infensus virtutibus Princeps , & gloria
viri , ac pessimum inimicorum genus ,
laudantes. Et ea insecura sunt reipublicæ
tempora , quæ sileri Agricolam non sine-
rent : tot exercitus in Mœsiâ Daciâque ,
& Germaniâ Pannoniâque , temeritate
aut per ignaviam ducum amissi : tot mili-
tares viri cum tot cohortibus expugnati
& capti : nec jam de limite imperii &
ripâ , sed de hibernis legionum & posses-
sione dubitatum. Ita cùm damna dam-
nis continuarentur , atque omnis annus

funeribus & cladibus insigniretur, poscebatur ore vulgi dux Agricola: comparantibus cunctis vigorem, constantiam, & expertum bellis animum, cum inertiam & formidine eorum. Quibus sermonibus satis constat Domitiani quoque aures verberatas, dum optimus quisque libertorum amore & fide, pessimi malignitate & livore, primum deterioribus Principem extimulabant. Sic Agricola simul suis virtutibus, simul vitiis aliorum, in ipsam gloriam præceps agebatur.

XLI. ADERAT jam annus, quo proconsulatum Asiæ & Africæ sortiretur, & occiso Civicâ nuper, nec Agricolæ consilium deerat, nec Domitiano exemplum. Accessere quidam, cogitationum Principis periti, qui, « iturus ne esset in provinciam », ultro Agricolam interrogarent: ac primò occultius « quietem & otium » laudare, mox « operam suam in adprobandâ excusatione » offerre: postremò non jam obscuri, suadentes simul terrentesque, pertraxere ad Domitianum: qui paratus simulatione, in arrogantiam compositus, & audiit preces excusantis, &, cùm adnuisset, agi sibi gratias passus est: nec erubuit beneficii invidiâ: salarium tamen, proconsulari solitum offerri, &

quibusdam a seipso concessum, Agricolæ non dedit: sive offensus, non petitum, sive ex conscientiâ, ne quod vetuerat, videretur emissæ. Proprium humani ingenii est, odiſſe, quem læſeris: Domitianus verò natura præceps in iram, & quò obscurior, eò irrevocabilior, moderatione tamen prudentiâque Agricolæ leniebatur: quia non contumaciâ, neque inani jactatione libertatis, famam fatumque provocabat. Sciant, quibus moris est illicita mirari, posse etiam sub malis Principibus magnos viros esse: obsequiumque ac modestiam, si industria ac vigor adsint, eò laudis excedere, quò plerique per abrupta, sed in nullum reipublicæ usum, ambitiosâ morte inclauerunt.

XLIII. FINIS vitæ ejus nobis luctuosus, amicis tristis, extraneis etiam ignotisque non sine curâ fuit. Vulgus quoque, & hic aliud agens populus, & ventitavere ad domum, & per fora, & circulos locuti sunt: nec quisquam, auditâ morte Agricolæ, aut lætatus est, aut statim oblitus est. Augebat miserationem constans rumor, «veneno interceptum». Nobis nihil comperti adfirmare ausim: cererùm per omnem valetudinem ejus, crebriūs, quam ex more principatûs per nuntios

visentis , & libertorum primi , & medicorum intimi venere : sive cura illud , sive inquisitio erat. Supremo quidem die , momenta deficientis per dispositos cursores nuntiata constabat , nullo credente , sic accelerari , quæ tristis audiret. Speciem tamen doloris animo vultuque præstulit , securus jam odii , & qui facilius dissimularet gaudium , quam metum. Satis constabat , lecto testamento Agricolæ , quo coheredem optimæ uxori & piissimæ filiæ Domitianum scripsit , latatum eum , velut honore judicioque : tam cæca & corrupta mens assiduis adulatioibus erat , ut nesciret a bono patre non scribi heredem , nisi malum Principem.

XLIV. NATUS erat Agricola , Caio Cæsare , tertium consule , Idibus Junii : excessit sexto & quinquagesimo anno , decimo Kalendas Septembres , Collegâ Priscoque consulibus. Quod si habitum quoque ejus posteri noscere velint , decentior quam sublimior fuit : nihil metu in vultu : gratia oris supererat : bonum virum facilè crederes , magnum libenter. Et ipse quidem , quamquam medio in spatio integræ ætatis ereptus , quantum ad gloriam , longissimum ævum peregit.

Quippe & vera bona , quæ in virtutibus sita sunt , impleverat ; & consularibus ac triumphalibus ornaientis prædito , quid aliud adstruere fortuna poterat ? Opibus nimiis non gaudebat ; speciosæ contigerant : filiâ atque uxore superstitibus , potest videri etiam beatus , incolumi dignitate , florente famâ , salvis adfinitatibus & amicitiis , futura effugisse . Nam sicuti durare in hac beatissimi sæculi luce , ac Principem Trajanum videre , quod augurio votisque apud nostras aures ominabatur : ita festinatæ mortis grande solatium tulit , evasisse postremum illud tempus , quo Domitianus non jam per intervalla ac spiramenta temporum , sed continuo , & velut uno ictu , rempublicam exhausit .

XLV. Non vedit Agricola obfessam curiam , & clausum armis senatum , & eâdem strage tot consularium cædes , tot nobilissimarum feminarum exilia & fugas . Unâ adhuc victoriâ Carus Metius censemebatur , & intra Albanam arcem sententia Messalini strepebat , & Massa Bebius jam tum reus erat . Mox nostræ duxere Helvidium in carcerem manus : nos Maurici , Rusticique visus , nos innocentisanguine Senecio perfudit . Nero tamen subtraxit oculos , jussitque scelera , non

spectavit : præcipua sub Domitiano misericordiarum pars erat , videre & aspici : cùm suspiria nostra subscriberentur : cùm denotandis tot hominum palloribus sufficeret sœvus ille vultus & rubor , quo se contra pudorem muniebat. Tu verò felix , Agricola , non vitæ tantum claritate , sed etiam opportunitate mortis : ut perhibent , qui interfuerunt novissimis sermonibus tuis , constans & libens fatum excepisti , tamquam pro virili portione innocentiam Principi donares. Sed mihi filiæque , præter acerbitatem parentis erepti , auget mæstitudinem , quòd adsidere valetudini , sovere deficientem , satiari vultu , complexu , non contigit : excepissemus certè mandata voceisque , quas penitus animo figeremus. Noster hic dolor , nostrum vulnus : nobis tam longæ absentiæ conditione ante quadriennium amissus es. Omnia sine dubio , optime parentum , adsidente amantissimâ uxore , superfuere honori tuo : paucioribus tamen lacrimis compositus es , & novissimâ in luce desideravere aliquid oculi tui.

XLVI. Si quis piorum manibus locus ; si , ut sapientibus placet , non cum corpore extinguuntur magnæ animæ : placide quiescas , nosque , domum tuam , ab

infirmo desiderio, & muliebribus lamentis, ad contemplationem virtutum tuarum voces, quas neque lugeri, neque plangifas est: admiratione te potius, temporibus laudibus, &, si natura suppeditet, *similitudine decoremus*. Is verus honos, ea conjunctissimi cujusque pietas. Id filiae quoque uxorique præceperim, sic patris, sic mariti memoriam venerari, ut omnia facta dictaque ejus secum revolvant, famamque ac figuram animi magis, quam corporis, complectantur: non quia intercedendum putem imaginibus, quæ marmore, aut ære finguntur: sed ut vultus hominum, ita simulacra vultus imbecilla ac mortalia sunt, forma mentis æterna: quam tenere & exprimere non per alienam materiam & artem, sed tuis ipse moribus possis. Quidquid ex Agricolâ amavimus, quidquid mirati sumus, manet, mansurumque est in animis hominum, in æternitate temporum, famâ rerum. Nam multos veterum, velut inglorios & ignobiles, oblivio obruet, Agricola, posteritati narratus & traditus, superstes erit.



B R E V I A R I U M
 D I A L O G I
 D E O R A T O R I B U S.
 E T S U P P L E M E N T I.

I. **P**RÆFATIO, scribendique dialogi occasio. II. Personæ, Curiatius Maternus, M. Aper, Julius Secundus. III. Maternum poetam a poeticis studiis avocare studet Secundus. IV. Excusat se Maternus. V. Instat Aper; & contendit utilitate, voluptate, dignitate, famâ oratoriam artem arti poeticæ anteponendam. VIII. Quod Marcelli Eprii & Crispi Vibii exemplis & opibus confirmat. IX. Contrà poeticæ inanem & infructuosam laudem esse. X. Hortatur ergo Maternum ut ab auditoriis & theatris ad forum

causasque se convertat. XI. Maternus
 poetas defendit. XII. Iis pura , inno-
 centia , divina sunt studia : magna
 fama. XIII. Speciosæ opes : felix
 contubernium. Inquieta verò & anxia
 oratorum vita. XIV. Hæc tractan-
 tibus, intervenit Vipſtanius Messala.
 Is antiquorum admirator , recentium
 contemptor , Aprum a novorum rhe-
 torum more ad antiquorum oratorum
 formam trahere nititur. XV. Inde de
 antiquis & recentibus disputatio.
 XVI. In antiquorum venerationem
 conspirant Messala , Secundus , &
 Maternus. Aper antiquos insecatur ,
 & sœculi sui partes tuetur. XVII.
 Incertum enim esse & obscurum anti-
 quorum nomen. XVIII. Plures quo-
 que eloquentiæ species. Malignitate
 humanâ , vetera in laude , præsentia
 in fastidio esse. XIX. Cassum Seve-
 rum .

rum ; quem antiquitatis terminum
 constituunt , non inscitiā , sed judicio
 & intellectu ad novum dicendi genus
 se transtulisse. XX. Multa veteris
 eloquentiæ vitia. Recentem esse lætio-
 rem & pulchriorem. XXI. De Calvo,
 Cœlio , C. Cœsare , Bruto , eorum
 Ciceronisque carminibus , de Asinio
 & Corvino judicia. XXII. Ciceronis
 laudes & vitia. XXIII. Summam
 eloquentiæ artem esse , antiquorum
 egregia quæque imitari , & a recenti-
 bus feliciter reperta miscere. XXIV.
 Maternus Messalam hortatur non ad
 laudationem antiquorum , quos fama
 sua satis laudat , sed ut causas , cur
 in tantum ab eorum eloquentiâ præ-
 sens ætas recesserit , aperiat. XXV.
 Messala quædam tamen de antiquo-
 rum nomine , & judicia de Calvo ,
 Asinio , Cœsare , Cœlio , Bruto ,

Cicerone, retrahat. XXVI. C. Gracchum, L. Crassum laudat. Mæcenatem verò, Gallionem & Cassium Severum reprehendit. XXVII. Messaliam longius vagantem ad propositum retrahit Maternus. XXVIII. Causas ergo cur eloquentia ceteraque artes a vetere gloriâ desciverint adfert Messala, desidiam juventutis, negligenciam parentum, inscientiam præcipientium, & oblivionem moris antiqui. XXXIII. Hæc cùm evolveret Messala, eum restitantem impellit Maternus, ut prosequatur, &, quomodo veteres ingenia alerent, doceat. XXXIV. Messala veteris juvenum institutionis artes explicat. XXXV. Recentioris vitia retegit. At in hac parte mutilus est Messalæ sermo. Periit integra Julii Secundi oratio. In Materno desunt quoque initia. Quæ desiderantur supplere juvat,

ut facilius sit hujuscē dialogi sensum
adsequi , ejusque utilitates percipi-
pere. 1. *Retectis prayœ institutionis*
vitiis , Messala juvenum inscitiam ,
cūm ad veros judices ventum est ,
explodit , eosque , sine ullā publici
privatique juris experientiā , exili
tantū elegantia turgidāve grandi-
tate ridiculos scenicisque præcepto-
rum suorum artibus instruētos prodire
ostendit. 2. Histrionicā hac institu-
tione perditam esse eloquentiam con-
cludit. 3. Maternum & Secundum
hortatur ut altiores alias , si quæ
sint , causas aperiant. 4. Julius Se-
cundus non tam novas corruptæ elo-
quentiæ causas expromit , quam a
Messalā allatas explicat , earumque
originem demonstrat. 5. Mutatā
nempe republicā , mutata sunt in-
genia ; & sub Principibus non elo-
quentia , sed ingenii fama , curæ fuit.

*In Annæo Senecâ cœpit illa ingenii
 prurigo. 6. Ejus exemplo & fortunâ
 fuit incitata. 7. Neque priscis Ves-
 pasiani virtutibus repressa. Immo in
 dies audacior forum irrupit. 8. Suas-
 que in laudes subsellia conduxit, duce
Largio Licinio. 9. Fessam tantis pro-
 pudiis eloquentiam cessasse ait **Julius
 Secundus**; Maternumque iis deterri-
 tum Musas esse sectatum. 10. Fatetur
Maternus se irrepentibus in forum
 vitiis fuisse commotum; trahente
 tamen naturâ, ad Musarum castra
 transfugisse. 11. Mox ut motam
 quæstionem dirimat, eloquentiæ di-
 sertique generis dicendi vices atque
 ingenia expendit: Rhetoribus in-
 dulget. Quintilianum laudat. 12.
 Nec miratur eloquentiam desuisse,
 quæ Ciceroni superstes esse non
 valuit. 13. Neque Principum ar-
 bitriis erat accomodata. Nusquam*


enim eloquentiam esse , nisi ubi sit
 libertas. 14. Inde tantam eloquentiæ
 vim fuisse in Demosthene. Cetera
 habet Tacitus. XXXVI. Ipsā tem-
 porum perturbatione & licentiā , cùm
 vigeret res publica , eloquentiam olim
 valuisse. XXXVII. Iis tempori-
 bus neminem magnam potentiam
 sine eloquentiā fuisse consecutum.
 XXXVIII. Cn. Pompeium eloquen-
 tiæ nocuisse , cùm eam adstrinxit ,
 frenosque ei imposuit. XXXIX.
 Immo ipsis oratorum pœnulis frac-
 tam eam fuisse & dejectam , quòd
 pompa plausuque indigeat. XL. Pro-
 bitate quoque & modestiā eam elan-
 guisse , cùm naturā sit contumax ,
 temeraria & arrogans. XLI. Pro va-
 rietate ergo temporum variam fuisse
 eloquentiam ; suaque esse quibus-
 vis temporibus laudes & utilitates.
 XLII. Dialogi conclusio.

Habitus est hic dialogus.

A. U. C. J. C.

DCCXXVIII. 75. Coss. { FLAVIO VESPASIANO
Aug. VI,
TITO VESPASIANO
Cæsare IV.





C. CORNELII
TACITI
 DIALOGUS
DE ORATORIBUS.
 ACCESSIT SUPPLEMENTUM,
Auctore GABRIELE BROTIER.

SÆPE ex me requiris, Juste Fabi, cur, cùm priora sæcula tot eminentium oratorum ingeniis gloriâque effloruerint, nostra potissimum ætas deserta, & laude eloquentiæ orbata, vix nomen ipsum oratoris retineat: neque enim ita appellamus nisi antiquos: horum autem temporum diserti, causidici, & advocati,

& patroni , & quidvis potius , quām oratores vocantur. Cui percunctioni tuæ respondere , & tam magnæ quæstionis pondus excipere , ut aut de ingeniis nostris malè existimandum sit , si idem adsequi non possumus , aut de judiciis , si nolumus , vix hercule auderem , si mea sententia proferenda , ac non disertissimorum ; ut nostris temporibus , hominum sermo repetendus esset , quos eamdem hanc quæstionem pertractantes , juvenis admodum audivi. Ita non ingenio , sed memoriam ac recordatione opus est , ut quæ a præstantissimis viris & excogitata subtiliter & dicta graviter accepi , cùm singuli diversas , vel easdem , sed probabiles causas adferrent , dum formam sui quisque & animi , & ingenii redderet , iisdem nunc numeris , iisdemque rationibus persequar , servato ordine disputationis : neque enim defuit , qui diversam quoque partem susciperet , ac multūm vexatā & irrisā vetustate , nostrorum temporum eloquentiam antiquorum ingeniis anteficeret.

II. NAM postero die , quām *Curiatius Maternus* Catonem recitaverat , cùm offendisse potentium animos diceretur , tamquam in eo tragœdiæ argumento sui

oblitus , tantum Catonem cogitasset , eaque de re per Urbem frequens sermo haberetur , venerunt ad eum *M. Aper* , & *Julius Secundus* , celeberrima tum ingenia fori nostri : quos ego in judiciis non utrosque modo studiosè audiebam , sed domi quoque & in publico adsecessabar , mirâ studiorum cupiditate , & quodam ardore juvenili , ut fabulas quoque eorum , & disputationes , & arcana semotæ dictionis penitus exciperem : quamvis malignè plerique opinarentur , nec Secundo promptum esse sermonem , & Aprum ingenio potius & vi naturæ , quam institutione & literis famam eloquentiæ consecutum . Nam & Secundo purus , & pressus , & , in quantum satis erat , profluens sermo non defuit : & Aper communī eruditione imbutus , contemnebat potius literas quam nesciebat , tamquam majorem industriæ & laboris gloriam habiturus , si ingenium ejus nullis alienarum artium adminiculis inniti videretur . Igitur ut intravimus cubiculum Materni , sedentem ipsum , & quem pridie recitaverat , librum intra manus habentem , deprehendimus .

III. TUM *Secundus* : Nil ne te , inquit , Materne , fabulæ malignorum terrent ,

quominus offensas Catonis tui ames? Aut ideo librum istum apprehendisti, ut diligenter retractares; & sublatis, si quæ pravam interpretandi materiam dederunt, emitteres Catonem, non quidem meliorem, sed tamen securiorem? Tum ille, Leges tu quidem si volueris, & agnosces, quæ audisti: quòd si qua omisit Cato, sequenti recitatione Thyestes dicet. Hanc enim tragœdiam disposui jam, & intra me ipse formavi. Atque ideo maturre libri hujus editionem festino, ut dimissâ priore curâ, novæ cogitationi toto pectore incumbam. Adeò te tragœdiæ istæ non satiant, inquit *Aper*, quominus, omissis orationum & causarum studiis, omne tempus modò circa Medeam, ecce nunc circa Thyesten, consumas? cùm tot amicorum causæ, tot coloniarum & municipiorum clientelæ in forum vocent, quibus vix sufficeres; etiam si non novum tibi ipse negotium importasses, Domitium, & Catonem: id est, nostras quoque historias, & Romana nomina, Græcorum fabulis aggregares.

IV. Et *Maternus*, Perturbarer hac tuâ severitate, nisi frequens & assidua nobis contentio jam propè in consuetudinem vertisset. Nam nec tu agitare & insequi-

poetas intermittis , & ego , cui desidiam advocationum objicis , quotidianum hoc patrocinium defendendæ adversùs te poetæ exerceo. Quò lætor magis , oblatum nobis judicem , qui me vel in futurum vetet versus facere , vel , quod jampridem opto , suâ quoque auctoritate compellat , ut omissis forensium causarum angustiis , in quibus satis mihi superque sudatum est , sanctiorem istam & angustiorem eloquentiam colam.

V. Ego verò , inquit *Secundus* , antequam me judicem Aper recuset , faciam , quod probi & modesti judices solent , ut in his cognitionibus se excusent , in quibus manifestum est , alteram apud eos partem gratiâ prævalere. Quis enim nescit , neminem mihi conjunctiorem esse & usu amicitiæ , & adsiduitate contubernii , quàm Saleium Bassum , cùm optimum virum , tum absolutissimum poetam ? porro si poetica accusatur , non alium video reum locupletiorem. Securus sit , inquit *Aper* , & Saleius Bassus , & quisquis aliis studium poeticæ & carniuum gloriam fovet , cùm causas agere non possit. Ego enim , quatenus arbitrum litis hujus inveni , non patiar , Maternum societate plurium defendi : sed & ipsum

solum apud vos arguam, quod natus ad eloquentiam virilem & oratoriam, quam parare simul & tueri amicitias, adsciscere nationes, complecti provincias possit, amittit studium, quo non aliud in civitate nostrâ vel ad utilitatem fructuosius, vel ad dignitatem amplius, vel ad Urbis famam pulchrius, vel ad totius imperii atque omnium gentium notitiam illustrius excogitari potest. Nam si ad utilitatem vitæ omnia consilia factaque nostra dirigenda sunt, quid erit tutius, quam eam exercere artem, quam semper armatus præsidium amicis, opem alienis, salutem periclitantibus, invidis verò & inimicis metum & terrorem ultro feras, ipse securus, & velut quâdam perpetuâ potentia ac potestate munitus? cuius vis & utilitas, rebus prospere fluentibus, aliorum præsidio & tutelâ intelligitur: sin proprium periculum increpuit, non hercule lorica, aut gladius in acie firmius munimentum, quam reo & periclitanti eloquentia, præsidium simul & telum, quo propugnare pariter, & incessere, vel in judicio, sive in senatu, sive apud Principem possis. Quid aliud infestis patribus nuper Eprius Marcellus, quam eloquentiam suam opposuit? qui accinctus & minax, disertam

quidem, sed inexercitatum, & ejusmodi certaminum rudem Helvidii sapientiam elusit. Plura de utilitate non dico, cui parti minimè contradicturum Maternum meum arbitrer.

VI. Ad voluptatem oratoriæ eloquentiæ transeo, cuius jucunditas, non uno aliquo momento, sed omnibus propè diebus, & propè omnibus horis continet. Quid enim dulcius libero & ingenuo animo, & ad voluptates honestas nato, quam videre plenam semper & frequenter domum suam concursu splendidissimorum hominum? idque scire, non pecuniæ, non orbitati, neque officii alicujus administrationi, sed sibi ipsi dari? illos quinimmo orbos, & locupletes, & potentes venire plerumque ad juvenem, & pauperem, ut aut sua, aut amicorum discrimina commendent. Ullane tanta ingentium opum ac magnæ potentiarum voluptas, quam spectare homines veteres, & senes, & totius Urbis gratiâ subnixos, in summâ omnium rerum abundantia confitentes, id quod optimum sit, se non habere? Jam verò, qui togatorum comitatus, & egressus! quæ in publico species! quæ in judiciis veneratio! quod gaudium consurgendi adsistendique inter

tacentes, in unum conversos: coire populum, & circumfundi coram, & accipere affectum quemcumque orator induerit! Vulgata dicentium gaudia, & imperitorum quoque oculis exposita, percenseo. Illa secretiora, & tantum ipsis orantibus nota, majora sunt. Sive accuratam meditataisque adfert orationem; est quoddam sicut ipsius dictionis, ita gaudii pondus & constantia: sive novam & recentem curam non sine aliquâ trepidatione animi adulterit, ipsa sollicitudo commendat eventum, & lenocinatur voluptati. Sed extemporalis audaciæ, atque ipsius temeritatis vel præcipua jucunditas est. Nam in ingenio quoque, sicut in agro, quamquam alia diu serantur atque elaborentur, gratiora tamen, quæ suâ sponte nascuntur.

VII. EQUIDEM ut de me ipse fatear, non eum diem lætiorem egi, quo mihi latus clavus oblatus est, vel quo homo novus, & in civitate minimè favorabilis natus, quæsturam, aut tribunatum, aut præturam accepi: quâm eos, quibus mihi, pro mediocritate hujus quantulæcumque in dicendo facultatis, aut reum prospere defendere, aut apud centum viros causam aliquam feliciter orare, aut apud Princi-

DIALOGUS DE ORATORIBUS. XXX

pem ipsos illos libertos & procuratores Principum tueri & defendere datur. Tum mihi supra tribunatus, & præturas, & consulatus ascendere videor, tum habere, quod in se, non in alio, oritur, nec codicillis datur, nec cum gratiâ venit. Quæ fama & laus cuiusvis artis cum oratorum gloriâ comparanda est, qui non illustres in Urbe solùm apud negotiosos & rebus intentos, sed etiam apud juvenes & adolescentes, quibus modò recta & indoles est, & bona spes suî? Quorum nomina priùs parentes liberis suis ingerunt? quos sæpius vulgus imperitum, & tunicatus hic populus transeuntes nomine vocat, & digito demonstrat? Advenæ quoque & peregrini, jam in municipiis & coloniis suis auditos, cùm primùm Urbem attigerunt, requirunt, ac vultus agnoscere concupiscunt.

VIII. Ausim contendere, Marcellum hunc Eprium, de quo modò locutus sum, & Crispum Vibium (libentiùs enim novis & recentibus, quàm remotis & oblitteratis exemplis utor) non minùs esse in extremis partibus terrarum, quàm Capuæ, aut Vercellis, ubi nati dicuntur: nec hoc illi alterive ter millies festertium præstat, quamquam ad has ipsas opes possunt

videri eloquentiæ beneficio venisse , sed ipsa eloquentia , cuius numen & cælestis vis multa quidem omnibus sæculis exempla edidit , ad quantam usque fortunam homines ingenii viribus pervenerint. Sed hæc , ut suprà dixi , proxima , & quæ non auditu cognoscenda , sed oculis spectanda haberemus. Nam quò fordidiùs & abjectiùs nati sunt , quóque notabilior paupertas & angustia rerum nascentes eos circumsteterunt , eò clariora , & ad demonstrandam oratoriæ eloquentiæ utilitatem illustriora exempla sunt : quòd sine commendatione natalium , sine substantiâ facultatum , neuter moribus egregius , alter habitu quoque corporis contemptus , per multos jam annos potentissimi sunt civitatis , ac , donec libuit , principes fori , nunc principes in Cæsarî amicitiâ agunt feruntque cuncta , atque ab ipso Principe cum quâdam reverentiâ diliguntur. Quia Vespasianus , venerabilis senex , & patientissimus veri , bene intelligit , ceteros quidem amicos suos niti iis , quæ ab ipso acceperint , quæque ipsi accumulare , & in alios congerere promptum est : Marcellum autem & Crispum , attulisse ad amicitiam suam , quod non a Principe acceperint , nec accipi possit. Minimum

inter tot ac tanta locum obtinent imagines , ac tituli , & statuae , quæ neque ipsa tamē negliguntur : tam hercule , quam divitiae , & opes , quas facilius invenies , qui vituperet , quam qui fastidiat . His igitur & honoribus , & ornamentis , & facultatibus , refertas domos eorum videmus , qui se ab ineunte adolescentiâ causis forensibus & oratorio studio dederunt.

IX. NAM carmina & versus , quibus totam vitam Maternus insumere optat (inde enim omnis fluxit oratio) neque dignitatem ullam auctoribus suis conciliant , neque utilitates alunt : voluptatem autem brevem , laudem inanem & infructuosam consequuntur. Lieet hæc ipsa , & quæ deinde dicturus sum , aures tuæ , o Materne , respuant , cui bono est , si apud te Agamemnon , aut Jason disertè loquitur ? quis ideo domum defensus , & tibi obligatus redit ? Quis Saleium nostrum , egregium poetam , vel , si hoc honorificentius est , præclarissimum vatem deducit , aut salutat , aut prosequitur ? Nempe , si amicus ejus , si propinquus ; si denique ipse in aliquod negotium inciderit , ad hunc Secundum recurret , aut ad te , Materne , non , quia poeta es ,

neque ut pro eo versus facias : hi enim Bassō domi nascuntur , pulchri quidem & jucundi : quorum tamen hic exitus est , ut , cùm toto anno , per omnes dies , magnâ noctium parte , unum librum extudit & elucubravit , rogare ultiō & ambire cogatur , ut fint , qui dignentur audire : & ne id quidem gratis : nam & domum mutuatur , & auditorium exstruit , & subsellia conduceit , & libellos dispergit : & ut beatissimus recitationem ejus eventus prosequatur , omnis illa laus intra unum aut alterum diem , velut in herbâ vel flore præcepta , ad nullam certam & solidam pervenit frugem : nec aut amicitiam inde refert , aut clientelam , aut mansurum in animo cuiusquam beneficium , sed clamorem vagum , & voces inanes , & gaudium volucrē. Laudavimus nuper , ut miram & eximiam Vespasiani liberalitatem , quòd quingenta seftertia Bassō donasset. Pulchrum id quidem , indulgentiam Principis ingenio mereri : quantò tamen pulchrius , si ita res familiaris exigat , se ipsum colere , suum ingenium propitiare , suam experiri liberalitatem ? Adjice quòd poetis , si modò dignum aliquid elaborare & efficere ve- lint , relinquenda conversatio amicorum ,

& jucunditas Urbis, deferenda cetera officia, utque ipsi dicunt, *in nemora & lucos*, id est, in solitudinem recedendum est.

X. Ne opinio quidem & fama, cui soli serviunt, & quod unum esse pretium omnis sui laboris fatentur, æquè poetas quam oratores sequitur: quoniam mediocres poetas neim novit, bonos pauci. Quando enim rarissimarum recitationum fama in totam Urbem penetrat? nedum ut per tot provincias innotescat. Quotus quisque, cum ex Hispaniâ, vel Asiâ, ne quid de Gallis nostris loquamur, in Urbem venit, Saleium Bassum requirit? atque adeò si quis requirit, & semel vidi, transit & contentus est; ut si picturam aliquam, vel statuam vidisset. Neque hunc meum sermonem sic accipi volo, tamquam eos, quibus natura sua oratorium ingenium denegavit, detestream a carminibus, si modò in hac studiorum parte oblectare otium, & nomen inferere possunt famæ: ego verò omnem eloquentiam omnesque ejus partes sacras & venerabiles puto: nec solum cothurnum vestrum, aut heroici carminis sonum, sed lyricorum quoque jucunditatem, & elegorum lascivias, & iamborum amari-

tudinem , & epigrammatum lusus , &
quamcumque aliam speciem eloquentia
habeat , anteponendam ceteris aliarum
artium studiis credo : sed tecum mihi ,
Materne , res est , quèd , cùm natura tua
in ipsam arcem eloquentiæ ferat , errare
mavis , & summa adeptus , in levioribus
subsistis. Ut si in Græciâ natus essem , ubi
ludicras quoque artes exercere honestum
est , ac tibi Nicostrati robur ac vires dii
dedissent , non paterer immanes illos ad
pugnam datos lacertos , levitate jaculi aut
jaçtu disci vanescere : sic nunc te ab audi-
toriis & theatris , in forum & ad causas
& ad vera prælia voco : cùm præsertim
ne ad id quidem consurgere possis , quod
plerisque patrocinatur , tamquam minus
obnoxium sit offendere poetarum , quam
oratorum studium. Effervescit enim vis
pulcherrimæ naturæ tuæ , nec pro amico
aliquo , sed quod periculosius est , pro
Catone offendis : nec excusatur offensa
necessitudine officii , aut fide advocationis ,
aut fortuitæ & subitæ dictionis impetu :
meditatus videris elegisse personam nota-
bilem , & cum auctoritate dicturam.
Sentio quid responderi possit : hinc in-
gentes ex his assensus , hinc in ipsis audi-
toriis præcipue laudari , & mox omnium

sermonibus ferri. Tolle igitur quietis & securitatis excusationem, cùm tibi sumas adversarium superiorem: nobis satis sit privatas & nostri sèculi controversias tueri, in quibus expressis si quando necesse sit pro periclitante amico potentiorum aures offendere, & probata sit fides, & libertas excusata.

XI. QUÆ cùm dixisset Aper acriùs, ut solebat, & intento ore: remissus & subridens *Maternus*, Paravi, inquit, me, non miñus diu accusare oratores, quàm Aper laudat. Fore enim arbitrabar ut a laudatione eorum digressus detrectaret poetas, atque carminum studium profterneret: arte quâdam mitigavit, concedendo his, qui causas agere non possent, ut versus facerent. Ego autem sicut in causis agendis efficere aliquid & eniti fortasse possum, ita recitatione tragœdiarum ingredi famam auspicatus sum, tum quidem, cùm in Nerone improbam, & studiorum quoque sacra profanantem *Vatinii* potentiam fregi: & hodie si quid in nobis notitiæ ac nominis est, magis arbitror carminum, quàm orationum gloriâ partum: ac jam me sejungere a forensi labore constitui, nec comitatus istos, & egressus, aut frequentiam salutationum

concupisco : non magis quām æra , & imagines , quæ etiam , me nolente , in domum meam intruperunt . Nam statum hucusque ac securitatem melius innocentiâ tueor , quām eloquentiâ : nec vereor , ne mihi umquam verba in senatu , nisi pro alterius discrimine , facienda sint.

XII. NEMORA verò , & luci , & secretum ipsum , quod Aper increpabat , tantam mihi afferunt voluptatem , ut inter præcipuos carminum fructus numerem , quòd nec in strepitu , nec sedente ante ostium litigatore , nec inter sordes ac lacrimas reorum componuntur , sed secedit animus in loca pura atque innocentia , fruiturque sedibus sacris . Hæc eloquentiæ primordia , hæc penetralia : hoc primùm habitu cultuque commoda mortalibus , in illa casta , & nullis contacta vitiis , pectora influxit : sic oracula loquebantur . Nam lucrosæ hujus , & sanguinantis eloquentiæ usus , recens , & malis moribus natus , atque , ut tu dicebas , Aper , in locum teli repertus . Ceterūm felix illud , & , ut more nostro loquar , aureum sæculum , & oratorum & criminum inops , poetis & vatibus abundabat , qui benefacta canerent , non qui malè admissa defenderent . Nec ullis aut gloria major ,

aut augustior honor: primùm apud deos, quorum proferre responsa, & interesse epulis ferebantur: deinde apud illos diis genitos sacrosque reges, inter quos neminem causidicorum, sed Orpheus ac Linus, ac si introspicere altius velis, ipsum Apollinem accepimus: vel, si hæc fabulosa nimis & composita videntur, illud certè mihi concedis, Aper, non minorem honorem Homero, quam Demostheni, apud posteros: nec angustioribus terminis famam Euripidis, aut Sophoclis, quam Lysias, aut Hyperidis includi: plures hodie reperies, qui Ciceronis gloriam, quam qui Virgilii detrectent. Nec ullus Asinii aut Messalæ libertam illustris est, quam Medea Ovidii, aut Varii Thyestes.

XIII. Ac ne fortunam quidem vatum, & illud felix contuberrium, comparare timuerim cum inquietâ & anxiâ oratorum vitâ: licet illos certamina & pericula sua ad consulatus evexerint: malo securum & secretum Virgilii secessum, in quo tamen neque apud divum Augustum gratiâ caruit, neque apud populum Romanum notitiâ. Testes Augusti epistolæ, testis ipse populus, qui auditis in theatro ver-

sibus Virgilii, surrexit universus, & forte
præsentem spectantemque Virgilium ve-
neratus est, sic quasi Augustum. Ne nostris
quidem temporibus, Secundus Pompo-
nius Afro Domitio, vel dignitate vitæ,
vel perpetuitate famæ, cesserit. Nam
Crispus & Marcellus, ad quoruim exempla
me vocas, quid habent in hac præsenti
fortunâ concupiscendum? quòd timent?
an quòd timentur? quòd cùm quotidie
aliquid rogentur, hi, quibus præstant,
indignantur? quòd alligati cum adulâ-
tione, nec imperantibus umquam satis
servi videntur, nec nobis satis liberi?
Quæ hæc summa eorum potentia est?
tantum posse liberti solent. Me verò dul-
ces, ut Virgilius ait, Musæ, remotum
a sollicitudinibus, & curis, & necessitate
quotidie aliquid contra animum faciendi,
in illa sacra illosque fontes ferant: nec
insanum ultrà & lubricum forum, famam-
que pallentem, trepidus experiar: non
me fremitus salutantium, nec anhelans
libertus excitet: nec incertus futuri, testa-
mentum pro pignore scribam: nec plus
habeam, quàm quod possim, cui velim,
relinquere, quandocumque fatalis &
meus dies veniet; statuarque tumulo non
mæstus

mæstus & atrox, sed hilaris & coronatus : & pro memoriâ mei , nec consulat quisquam , nec roget.

XIV. Vix dum finierat Maternus, concitatus & velut instinctus , cùm *Vipstanus Messala* cubiculum ejus ingressus est , suspicatusque ex ipsâ intentione singulorum , altiorem inter eos esse sermonem : Num parum tempestivus , inquit , intervîni , secretum consilium & causæ alicujus meditationem tractantibus ? Minimè , minimè , inquit *Secundus* ; atque adeò vellem maturiùs intervenisses : delectasset enim te & Apri nostri accuratissimus sermo , cùm Maternum , ut omne ingenium ac studium suum ad causas agendas converteret , exhortatus est , & Materni pro carminibus suis lata , utque poetas defendi decebat , audentior , & poetarum quàm oratorum similior oratio. Me verò , inquit , & sermo ipse infinitâ voluptate adfecisset , atque id ipsum delectat , quòd vos viri optimi & temporum nostrorum oratores , non forensibus tantùm negotiis , & declamatorio studio ingenia vestra exercetis , sed ejusmodi etiam disputationes adjungitis , quæ & ingenium alunt , & eruditio nis & literarum jucundissimum oblectamentum , cùm vobis qui illa disputatis ,

adferunt , tum etiam his , ad quorum
aures pervenerint . Itaque hercule non
minùs probari video in te , Secunde ,
quòd Julii Asiatici vitam componendo ,
spem hominibus fecisti plurium ejusmodi
librorum , quàm in Apro , quòd nondum
a scholasticis controversiis recessit ; &
otium suum invult novorum rhetorum
more , quàm veterum oratorum , consu-
mire.

XV. Tu M Aper , Non desinis , Mes-
sala , vetera tantùm & antiqua mirari ,
nostrorum autem temporum studia inri-
dere atque contemnere . Nam hunc tuum
sermonem sàpe excepisti , cùm oblitus &
tuæ , & fratris tui eloquentiæ , neminem
hoc tempore oratorem esse contuleres .
Atque idè credo audaciùs , quòd ma-
ligni in iis opinionem non verebaris , cùm
eam gloriam , quam tibi alii concedunt ,
ipse tibi denegares . Neque illius , *inquit* ,
sermonis mei pænitentiam ago , neque aut
Secundum , aut Maternum , aut te ipsum ,
Aper , (quamquam interdum in contra-
rium disputes) aliter sentire credo . Ac
velim impetratum ab aliquo vestrûm , ut
causas hujus infinitæ differentiæ scrutetur
ac reddat , quas mecum ipse plerumque
conquiro : & quod quibusdam solutio est ,

mihi auget quæstionem, quia video etiam
Graii accidisse, ut longius absit Æschine
& Demosthene Sacerdos iste Nicetes, &
si quis alias Ephesum vel Mitylenas con-
tentis scholasticorum clamoribus quatit,
quàm Afer, aut Africanus, aut vos ipsi
a Cicerone, aut Asinio recessistis.

XVI. MAGNAM, inquit *Secundus*, &
dignam tractatu quæstionem movisti: sed
quis eam justius explicaverit, quàm tu,
ad cuius summam eruditionem & præf-
tantissimum ingenium cura quoque &
meditatio accessit? Et *Messala*, Aperiam,
inquit, cogitationes meas, si illud a vobis
antè impetravero, ut vos quoque sermo-
nem hunc nostrum adjuvetis. Pro duabus
inquit *Maternus*, promitto: nam & ego
& *Secundus* exsequemur partes, quas
intellexerimus te non tam omisisse quàm
nobis reliquisse. Aprum enim solere dis-
sentire, & tu paullo antè dixisti, & ipse
satis manifestus est jāndudum in contra-
rium accingi, nec æquo animo perferre
hanc nostram pro antiquorum laude con-
cordiam. Non enim, inquit *Aper*, inau-
ditum & indefensum sæculum nostrum
patiar hac vestrâ conspiracye damnari.
Sed hoc primum interrogabo, quos vo-
cetis antiquos, quam oratorum ætatem.

significatione istâ determinetis? Ego enim
cùm audio antiquos, quosdam veteres &
olim natos intelligo; ac mihi versantur
ante oculos Ulysses & Nestor, quorum
ætas mille fere & trecentis annis sæculum
nostrum antecedit: vos autem Demos-
thenem & Hyperidem profertis, quos
satis constat Philippi & Alexandri tem-
poribus floruisse: ita tamen ut utrique
superstites essent. Ex quo apparet, non
multò plures quām cccc annos interesse
inter nostram & Demosthenis ætatem:
quod spatium temporis, si ad infirmita-
tem corporum nostrorum referas, fortasse
longum videatur: si ad naturam sæculo-
rum & respectum immensi hujus ævi,
perquām breve, & in proximo est. Nam
si, ut Cicero in Hortensio scribit, «is
»est magnus & verus annus, quo eadem
»positio cæli siderumque, quæ cùm
»maximè est, rursus existet, isque annus
»horum, quos nos vocamus, annorum
»XII M DCCCCLIV complectitur»; incipit
Demosthenes vester, quem vos veterem
& antiquum fingitis, non solùm eodem
anno quo nos, sed fere eodem mense
existisse.

XVII. SED transeo ad Latinos orato-
. res, in quibus non Menenium, ut puto,

Agrippam , qui potest videri antiquus ,
nostrorum temporum disertis anteponere
soletis : sed Ciceronem , & Cæsarem ,
& Cœlium , & Calvum , & Brutum , &
Asinium , & Messalam : quos quidem
eūr antiquis temporibus potius adscribatis ,
quām nostris , non video : nam ut de
Cicerone ipso loquar , Hirtio nempe &
Pansâ consulibus , ut Tiro libertus ejus
scripsit , septimo Idus Decembris occisus
est , quo anno divus Augustus in locum
Pansæ & Hirtii se & Q. Pedium consules
suffecit : statue sex & quinquaginta annos ,
quibus mox divus Augustus rempublicam
rexit : adjice Tiberii tres & viginti , &
prope quadriennium Caii , ac bis quater-
nōdenos Claudii & Neronis annos , atque
ipsum Galbæ , & Othonis , & Vitelliū
unum annum , ac sextam jam felicis hujus
principatūs stationem , quā Vespasianus
rempublicam fovet , centum & viginti
anni ab interitu Ciceronis in hunc diem
colliguntur , unius hominis ætas . Nam
ipse ego in Britanniâ vidi senem , qui se
fateretur ei pugnæ interfuisse , quā Cæsa-
rem inferentem arma Britanniæ , arcere
litoribus , & pellere adgressi sunt . Ita si
eum , qui armatus C. Cæsari restitit ,
vel captivitas , vel voluntas , vel fatum

aliquid in Urbem pertraxisset, idem
Cæfarem ipsum & Ciceronem audire
potuit, & nostris quoque actionibus inter-
esse. Proximo quidem congiario ipsi vi-
distis plerosque senes, qui se a divo quo-
que Augusto semel atque iterum accepisse
congiarium narrabant: ex quo colligi
potest, & Corvinum ab illis & Asinium
audiri potuisse. Nam Corvinus in medium
usque Augusti principatum, Asinius pæne
ad extremum duravit. Nec dividatis sæ-
culum, & antiquos ac veteres vocetis ora-
tores, quos eoruindem hominum aures
agnoscere ac velut conjungere & copu-
lare potuerunt.

XVIII. Hæc ideo prædixi, ut si qua,
ex horum oratorum famâ gloriâque, laus
temporibus adquiritur, eamdem docerem
in medio sitam, & propiorem nobis,
quàm Ser. Galbae, C. Carboni, quosque
alios antiquos meritò vocaremus. Sunt
enim horridi, & impoliti, & rudes, &
informes, & quos utinam nullâ parte
imitatus esset Calvus vester, aut Cœlius,
aut ipse Cicero? Agere enim fortius jam
& audentius volo, si illud antè prædixero,
mutari cum temporibus formas quoque
& genera dicendi. Sic Catoni seni com-
paratus C. Gracchus, plenior & uberior;

sic Graccho politior & ornatior Crassus ;
sic utroque distinctior , & urbanior , &
altior Cicero ; Cicerone mitior Corvinus ,
& dulcior , & in verbis magis elaboratus.
Nec quæro , quis disertissimus : hoc in-
terim probasse contentus sum , non esse
unum eloquentiæ vultum , sed in illis
quoque , quos vocatis antiquos , plures
species deprehendi ; nec statim deterius
esse , quod diversum est : vitio autem
malignitatis humanæ vetera semper in
laude , præsentia in fastidio esse. Num
dubitamus inventos , qui pro Catone
Appium Cæcum magis mirarentur ? Satis
constat ne Ciceroni quidem obtrectatores
defuisse , quibus inflatus , & tumens , nec
satis pressus , sed supra modum exsultans ,
& superfluens , & parum Atticus videre-
tur. Legistis utique & Calvi & Bruti ad
Ciceronem missas epistolas : ex quibus
facile est deprehendere , Calvum quidem
Ciceroni visum exsanguem & attritum ,
Brutum autem otiosum atque disjunctum.
Rursumque Ciceronem a Calvo quidem
malè audivisse , tamquam solutum &
enervem : a Bruto autem , ut ipsius verbis
utar , tamquam fractum atque elumbem .
Si me interroges , omnes mihi videntur
verum dixisse. Sed mox ad singulos ve-

128 C. CORNELII TACITI
niam, nunc mihi cum universis negotium
est.

XIX. NAM quatenus antiquorum admiratores hunc velut terminum antiquitatis constituere solent, quem usque ad Cassium Severum faciunt, quem primum adfirmant flexisse ab illâ vetere, atque directâ dicendi viâ: non infirmitate ingenii, nec inscitiâ literarum, transtulisse se ad id dicendi genus contendô, sed judicio & intellectu. Vedit namque, ut paullo antè dicebam, cum conditione temporum ac diversitate aurium formam quoque ac speciem orationis esse mutandam. Facilè perferebat prior iste populus, ut imperitus & rudis, imperitissimarum orationum spatia: atque id ipsum laudabatur, si dicendo quis diem eximeret. Ita verò longa principiorum præparatio, & narrationis altè repetita series, & multarum divisionum ostentatio, & mille argumentorum gradus, & quidquid aliud aridissimis Hermagoræ & Apollodori libris præcipitur, in honore erat: quòd si quis odoratus philosophiam, atque ex eâ locum aliquem orationi suæ infereret, in cælum laudibus ferebatur. Nec mirum: erant enim hæc nova & incognita: & ipsorum quoque oratorum paucissimi præ-

cepta rhetorum , aut philosophorum placita , cognoverant. At hercule pervulgatis jam omnibus , cùm vix in cortinâ quisquam adsistat , qui elementis studiorum & si non instructus , at certè imbutus sit , novis & exquisitis eloquentiæ itineribus opus est , per quæ orator fastidium aurium effugiat , utique apud eos judices , qui vi , aut potestate , non jure & legibus cognoscunt , & nec accipiunt tempora , sed constituunt , nec exspectandum habent oratorem , dum illi libeat de ipso negotio dicere , sed sæpe ultiro admonent , atque aliò transgredientem revocant , & festinare se testantur.

XX. Quis nunc feret oratorem de infirmitate valetudinis suæ præfantem ? qualia sunt fere principia Corvini. Quis quinque in Verrem libros exspectabit ? Quis de exceptione & formulâ perpetiatur illa immensa volumina , quæ pro M. Tullio , aut A. Cæcinâ legimus ? Præcurrit hoc tempore judex dicentem , & nisi aut cursu argumentorum , aut colore sententiarum , aut nitore & cultu descriptionum invitatus & corruptus est , aversatur dicentem. Vulgus quoque adstantium , & adfluens & vagus auditor , adfuevit jam exigere lætitiam , & pulchritudinem

orationis; nec magis perfert in judiciis
tristem & impexam antiquitatem, quam
si quis in scenâ, Rosciî, aut Turpionis
Ambivii exprimere gestus velit. Jam verò
juvenes, & in ipsâ itudiorum incude po-
siti, qui profectûs sui causâ oratores sec-
tantur, non solum audire, sed etiam
referre domum aliquid illustre & dignum
memoriâ volunt. Traduntque invicem,
ac sæpe in colonias ac provincias suas
scribunt, sive in suis aliquis argutâ &
brevi sententiâ effulsit, sive locus exqui-
sito & poetico cultu enituit. Exigitur enim
jam ab oratore etiam poeticus decor, non
Accii aut Pacuvii veterno inquinatus,
sed ex Horatii, & Virgilii, & Lucani
sacrario prolatus. Horum igitur auribus
& judiciis obtemperans nostrorum orato-
rum ætas, pulchrior & ornatior exstitit.
Neque ideo minùs efficaces sunt orationes
nostræ, quia ad aures judicantium cum
voluptate perveniunt. Quid enim si infir-
miora horum temporum templa credas,
quia non rudi cæmento, & informibus
tegulis exstruuntur, sed marmore nitent
& auro radiantur?

XXI. EQUIDEM fatebor vobis simpli-
citer, me in quibusdam antiquorum vix
risum, in quibusdam autem vix somnum

tenere , nec unum de populo Canuti aut Aride Furnio & Toranio , qui que alios in eodem valetudinario hæc ossa & hanc maciem probant. Ipse mihi Calvus , cùm unum & viginti , ut puto , libros reliquerit , vix in unâ aut alterâ oratiunculâ satisfacit : nec dissentire ceteros ab hoc meo judicio video : quotus enim quisque Calvi in Asitium , aut in Drusum legit ? at hercule in hominum studiosorum manibus versantur accusationes , quæ in Vatinium inscribuntur , ac præcipue secunda ex his oratio : est enim verbis ornata , & sententiis auribus judicum accommodata : ut scias ipsum quoque Calvum intellexisse quid melius esset , nec voluntatem quin sublimius & cultius diceret , sed ingenium ac vires defuisse. Quid ? ex Cœlianis orationibus ? nempe hæc placent , si non universæ , at partes earum , in quibus nitorem & altitudinem horum temporum agnoscimus. Sordes autem verborum , & hianis compositio , & inconditi sensus redolent antiquitatem : nec quemquam adeò antiquarium puto , ut Cœlium ex eâ parte laudet , quâ antiquus est. Concedamus sanè C. Cœsari , ut propter magnitudinem cogitationum & occupationes rerum , minus in eloquentiâ

effecerit, quām divinum ejus ingenium postulabat: tam hercule, quām Brutum philosophiæ suæ relinquamus. Nam in orationibus minorem esse famâ suâ, etiam admiratores ejus fatentur: nisi fortè quisquam aut Cæsaris pro Decio Samnite, aut Bruti pro Dejotaro rege, ceterosque ejusdem lentitudinis ac temporis libros legit, nisi qui & carmina eorumdem miratur: fecerunt enim & carmina, & in bibliothecas retulerunt, non melius quām Cicero, at felicius, quia illos fecisse pauciores sciunt. Asinius quoque, quamquam propioribus temporibus natus sit, videtur mihi inter Menenios & Appios studuisse. Pacuvium certè, & Accium, non solum tragœdiis, sed etiam orationibus suis expressit: adeò durus & siccus est. Oratio autem, sicut corpus hominis, ea demum pulchra est, in quā non eminent venæ, nec ossa numerantur, sed temperatus ac bonus sanguis implet membra, & exsurgit toris, ipsosque nervos rubor tegit & decor commendat. Nolo Corvinum insequi, quia non per ipsum stetit, quominus lætitiam nitoremque nostrorum temporum exprimeret: vide-rimus, inquam judicio ejus vis aut animi, aut ingenii sufficerit.

XXII. AD Ciceronem venio , cui eadem pugna cum æqualibus suis fuit , quæ mihi vobiscum est. Illi enim antiquos mirabantur , ipse suorum temporum eloquentiam anteponebat : nec ullâ re magis ejusdem ætatis oratores præcurrit , quam judicio. Primus enim excoluit orationem , primus & verbis delectum adhibuit , & compositioni artem : locos quoque lætiores attentavit , & quasdam sententias invenit ; utique in his orationibus , quas senior jam & juxta finem vitæ composuit , id est , postquam magis profecerat , usque & experimentis didicerat ; quod optimum dicendi genus est. Nam priores ejus orationes non carent vitiis antiquitatis : latus est in principiis , longus in narrationibus , otiosus circa excessus , tardè commovetur , raro incalescit : pauci sensus aptè & cum quodam lumine terminantur : nihil excerpere , nihil referre possis : & velut in rudis ædificio , firmus sanè paries & duraturus , sed non satis expolitus & splendens. Ego autem oratorem , sicut locupletem ac laudatum patrem familiæ , non eo tantum volo tecto tegi , quod imbre ac ventum arceat , sed etiam quod visum & oculos delectet : non eâ solùm instrui supellecstile , quæ necessariis usibus sufficiat , sed

sit in apparatu ejus & aurum, & geminæ; ut sumere in manus, & aspicere sæpius liceat: quædam verò procul arceantur, ut jam obliterata & olentia: nullum sit verbum velut rubigine infectum, nulli sensus tardâ & inertî structurâ, in morem Annalium, componantur: fugiat fœdam & insulsam scurrilitatem, variet compositionem, nec omnes clausulas uno & eodem modo terminet.

XXIII. Nolo irridere *rotam fortunæ*, & *jus Verrinum*, & illud tertio quoque sensu in omnibus orationibus pro sententiâ positum, *esse videatur*. Nam & hoc invitus retuli, & plura omisi, quæ tamen sola mirantur atque exprimunt hi, qui se antiquos oratores vocant: neminem nominabo, genus hominum signasse contentus: sed vobis utique versantur ante oculos, qui Lucilium pro Horatio, & Lucretium pro Virgilio legunt: quibus eloquentia tui Aufidii Bassi, aut Servilii Noniani, ex comparatione Sisennæ aut Varronis fordet: qui rhetorum nostrorum commentarios fastidiunt, oderunt, Calvi mirantur: quos more prisco apud judicem fabulantes, non auditores sequuntur, non populus audit, vix denique litigator perpetitur: adeò mæsti & inculti, illam-

ipsam quam jactant sanitatem, non firmitate, sed jejunio; consequuntur. Porrò ne in corpore quidem valetudinem medici probant, quæ animi anxietate contingit, parum est ægrum non esse, fortem, & lætum, & alacrem volo: propè abest ab infirmitate, in quo sola sanitas laudatur. Vos verò, disertissimi, ut potestis, ut facitis, illustrate sæculum nostrum pulcherrimo genere dicendi. Nam & te, Messala, video lætissima quæque antiquorum imitantem: & vos, Materne ac Secunde, ita gravitati sensuum nitorem & cultum verborum miscetis; ea electio inventionis, is ordo rerum, & quotiens causa poscit, ubertas; ea, quotiens permittitur, brevitas, is compositionis decor, ea sententiarum planitas est, sic exprimitis affectus, sic libertatem temperatis, ut etiam si nostra judicia malignitas & invidia tardaverit, verum de vobis dicturi sint posteri nostri.

XXIV. Quæcùm Aper dixisset, Agnoscitis ne, inquit *Maternus*, vim & ardorem Apri nostri? quo impetu sæculum nostrum defendit! quām copiosè ac variè vexavit antiquos! quanto non solùm ingenio ac spiritu, sed etiam eruditione & arte, ab ipsis mutuatus est, per quæ mox

ipsos incesseret ! Tuum tamen, Messala, promissum immutasse non debes : neque enim defensores antiquorum exigimus, nec quemquam nostrorum, quamquam modò laudati sumus, his, quos infectatus est Aper, comparamus : ac ne ipse quidem ita sentit, sed more veteri, & a vestris philosophis sæpe celebrato, sumpsit sibi contradicendi partes. Exprome nobis, non laudationem antiquorum, satis enim illos fama sua laudat, sed causas, cur in tantum ab eloquentiâ eorum recesserimus ; cùm præsertim centum & viginti annos ab interitu Ciceronis in hunc diem effici ratio temporum collegerit.

XXV. Tum *Messala* : Sequar a te præscriptam formam, Materne : neque enim diu contradicendum est Apro, qui primùm, ut opinor, nominis controversiam movit, tamquam parum propriè antiqui vocarentur, quos satis constat ante centum annos fuisse. Mihi autem de vocabulo pugna non est, sive illos antiquos, sive maiores, sive quo alio mavult nomine, appellat : dummodo in confessu sit, eminentiorem illorum temporum eloquentiam fuisse. Ne illi quidem parti sermonis ejus repugno, si quominus fatetur, plures formas dicendi

etiam iisdem sæculis, nendum diversis, existitisse. Sed quomodo inter Atticos oratores primæ Demostheni tribuuntur, proximum autem locum Æschines, & Hyperides, & Lysias, & Lycurgus obtinent, omnium autem consensu hæc oratorum ætas maximè probatur: sic apud nos Cicero quidem ceteros eorumdem temporum disertos antecessit: Calvus autem, & Asinius, & Cæsar, & Cœlius, & Brutus, suo jure, & prioribus, & sequentibus anteponuntur: nec refert, quòd inter se specie differant, cùm genere consentiant. Adstrictior Calvus, numerosior Asinius, splendidior Cæsar, amarius Cœlius, gravior Brutus, vehementior, & plenior, & valentior Cicero; omnes tamen eamdem sanitatem eloquentiæ ferrunt: ut si omnium pariter libros in manus sumperis, scias, quamvis in diversis ingeniis, esse quamdam judicii ac voluntatis similitudinem & cognationem. Nam quòd invicem se obrectaverunt, & sunt aliqua epistolis eorum inserta, ex quibus mutua malignitas detegitur, non est oratorum vitium, sed hominum. Nam & Calvum, & Asinium, & ipsum Ciceronem credo solitos & invidere, & livere, & ceteris humanæ infirmitatis vitiis adfici: solùm

inter hos arbitror Brutum, non malignitate, nec invidiâ, sed simpliciter, & ingenuè, judicium animi sui detexisse: an invideret Ciceroni, qui mihi videtur ne Cæsari quidem invidisse? Quod ad Ser. Galbam & C. Læliuni attinet, & si quos alios antiquorum agitare non desistit, non exigit defensorem, cùm fatear quædam eloquentiæ eorum, ut nascenti adhuc, nec satis adultæ, defuisse.

XXVI. CETERUM si, omisso optimo illo, & perfectissimo genere eloquentiæ, eligenda sit forma dicendi, malim hercule C. Gracchi impetum, aut L. Crassi maturitatem, quam calamistros Mæcenatis, aut tinnitus Gallionis: adeò melius est oratorem vel hirtâ togâ induere, quam fucatis & meretriciis vestibus insignire. Neque enim oratorius iste, immo, hercule, ne virilis quidem cultus est, quo plerique temporum nostrorum actores ita utuntur, ut lasciviâ verborum, & levitate sententiarum, & licentiâ compositionis, histriionales modos exprimant: quodque vix auditu fas esse debeat, laudis, & gloriæ, & ingenii loco plerique jactant, cantari saltarique commentarios suos. Unde oritur illa fœda & præpostera, sed tamen frequens quibusdam exclamatio-

matio , ut oratores nostri tenerè dicere ,
histriones disertè saltare dicantur. Equi-
dem non negaverim Cassium Severum ,
quem solum Aper noster nominare ausus
est , si his comparetur , qui postea fuerunt ,
posse oratorem vocari , quamquam in
magnâ parte librorum suorum plus vis
habeat , quam sanguinis. Primus enim ,
contempto ordine rerum , omisâ mo-
destiâ , ac pudore verborum , ipsis etiam ,
quibus utitur , armis incompositus , &
studio feriendi plerumque detectus , non
pugnat , sed rixatur. Ceterum , ut dixi ,
sequentibus comparatus , & varietate eru-
ditionis , & lepore urbanitatis , & ipsarum
virium robore , multum ceteros superat :
quorum neminem Aper nominare , &
velut in aciem educere sustinuit. Ego
autem exspectabam , ut incusato Asinio ,
& Cœlio , & Calvo , aliud novum agmen
produceret , pluresque , vel certè totidem
nominaret , ex quibus alium Ciceroni ,
alium Cæsari , singulis demum singulos
opponeremus. Nunc detrectasse nomina-
tim antiquos oratores contentus , nem-
inem sequentium laudare ausus est , nisi
in publicum & in commune. Veritus ,
credo , ne multos offenderet , si paucos
excerpsisset : quotus enim quisque scho-

lasticorum non hac suâ persuasione fruitur, ut se ante Ciceronem numeret, sed planè post Gabinianum?

XXVII. At ego non verebor nominare singulos, quòd faciliùs, propositis exemplis, appareat, quibus gradibus fracta sit & deminuta eloquentia. Appropera, inquit *Maternus*, & potiùs exsolve promissum: neque enim hoc colligi desideramus, disertiores esse antiquos, quod apud me equidem in confessu est, sed causas exquirimus, quas te solitum tractare, paullo antè, planè mitiore eloquentiâ, & temporum nostrorum, miratus, antequam te Aper offenderet majores tuos lacefendo. Non sum, inquit, offensus Aprinâ disputatione; nec vos offendit debet: si quid fortè aures vestras perstringet; cùm sciatis hanc esse ejusmodi sermonum legem, judicium animi, citra damnum affectûs, proferre. Perge, inquit *Maternus*, & cùm de antiquis loquaris, utere antiquâ libertate, a quâ vel imagis degeneravimus, quam ab eloquentiâ.

XXVIII. Et *Messala*, non reconditas, Materne, causas requiris, nec aut tibi ipsi, aut huic Secundo, vel huic Aprognatas, etiamsi mihi partes adsignatis,

proferendi in medium , quæ omnes sentimus. Quis enim ignorat & eloquentiam , & ceteras artes , descivisse ab istâ vetere gloriâ , non inopiâ hominum , sed desidiâ juventutis , & negligentia parentum , & inscientia præcipientium , & oblivione moris antiqui ? quæ mala primùm in Urbe nata , mox per Italiam fusa , jam in provincias manant : quamquam nostra nobis notiora sunt. Ego de Urbe , & his propriis ac vernaculis vitiis loquar , quæ natos statim excipiunt , & per singulos ætatis gradus cumulantur ; si priùs de severitate ac disciplinâ majorum circa educandos formandosque liberos pauca prædixero. Jam primùm , suus cuique filius , ex castâ parente natus , non in cellâ emptæ nutricis , sed gremio ac sinu matris educabatur , cujus præcipua laus erat , tueri domum , & inservire liberis. Eligebatur autem aliqua major natu propinqua , cujus probatis spectacisque moribus omnis ejusdem familiæ soboles committeretur , coram quâ neque dicere fas erat , quod turpe dictu , neque facere , quod inhonestum factu videretur. Ac non studia modò curasque , sed remissiones etiam lususque puerorum , sanctitate quâdam ac verecundiâ temperabat.

Sic Corneliam Gracchorum , sic Aureliam
Cæsar is , sic Atiam Augusti matrem præ-
fuisse educationibus , ac produxisse prin-
cipes liberos accepimus : quæ disciplina
ac severitas eò pertinebat , ut sincera ,
& integra , & nullis pravitatibus detorta ,
uniuersusque natura toto statim pectore
arriperet artes honestas , & sive ad rem
militarem , sive ad juris scientiam , sive
ad eloquentiæ studium inclinasset , id so-
lum ageret , id universum hauriret.

XXIX. AT nunc natus infans delega-
tur Græculæ alicui ancillæ , cui adjungitur
unus aut alter ex omnibus servis , plerum-
que vilissimus , nec cuiquam serio minis-
terio accommodatus. Horum fabulis &
erroribus teneri statim & rudes animi
imbuuntur. Nec quisquam in totâ domo
pensi habet , quid coram iufante domino ,
aut dicat , aut faciat : quando etiam ipsi
parentes nec probitati , neque modestiæ ,
parvulos adsuefaciunt , sed lasciviæ & li-
bertati ; per quæ paullatim impudentia
irrebit , & sui alienique contemptus. Jam
verò propria & peculiaria hujus Urbis
vitia pæne in utero matris concipi mihi
videntur , histriонаlis favor , & gladia-
torum equorumque studia : quibus occu-
patus & obsessus animus quantulum loci

bonis artibus relinquunt? quotum quemque inveneris, qui domi quidquam aliud loquatur? quos aliquos adolescentulorum sermones excipimus, si quando auditoria intravimus? Ne præceptores quidem ulla crebriores cum auditoribus suis fabulas habent: colligunt enim discipulos non severitate disciplinæ, nec ingenii experimendo, sed ambitione salutantium, & illecebris adulationis. Transeo prima discentium elementa, in quibus & ipsis parum elaboratur: nec in auctoribus cognoscendis, nec in evolvendâ antiquitate, nec in notitiâ vel rerum, vel hominum, vel temporum, satis operæ insumitur: sed expetuntur, quos rhetoras vocant; quorum professio quando primùm in hanc Urbem introducta sit, quamque nullam apud maiores nostros auctoritatem haberit, statim docuero.

XXX. REFERAM necesse est animum ad eam disciplinam, quâ usos esse eos oratores accepimus, quorum infinitus labor, & quotidiana meditatio, & in omni genere studiorum exercitationes, ipsorum etiam continentur libris. Notus est nobis utique Ciceronis liber, qui Brutus inscribitur, in cuius extremâ parte, (nam prior commemorationem veterum

oratorum habet) sua initia , suos gradus ,
suae eloquentiae velut quamdam educatio-
nem refert : se apud Q. Mucium jus civile
didicisse ; apud Philonem Academicum ,
apud Diodotum Stoicum omnes philoso-
phiæ partes penitus hausisse : neque his
doctoribus contentum , quorum ei copia
in Urbe contigerat , Achaiam quoque &
Asiam peragrasse , ut omnem omnium
artium varietatem complecteretur. Itaque
hercule in libris Ciceronis deprehendere
licet , non geometriæ , non musicæ , non
grammaticæ , non denique ullius ingenuæ
artis scientiam ei defuisse. Ille dialecticæ
subtilitatem , ille moralis partis utilitatem ,
ille rerum motus causasque cognovit : ita
enim est , optimi viri , ita ex multâ eru-
ditione , ex pluribus artibus , & omnium
rerum scientiâ , exundat & exuberat illa
admirabilis eloquentia : neque oratoris
vis & facultas , sicut ceterarum rerum ,
angustis & brevibus terminis cluditur :
sed is est orator , qui de omni quæstione
pulchre , & ornatè , & ad persuadendum
aptè dicere , pro dignitate rerum , ad
utilitatem temporum , cum voluptate au-
dientium possit.

XXXI. Hæc sibi illi veteres perfa-
debant : ad hæc efficienda intelligebant
opus

opus esse, non ut rhetorum scholis declamarent, nec ut fictis, nec ullo modo ad veritatem accedentibus, controversiis linguam modò & vocem exercent, sed ut his artibus pectus implerent, in quibus de bonis ac malis, de honesto ac turpi, de justo & injusto disputatur. Hæc enim est oratori subjecta ad dicendum materia. Nam in judiciis fere de æquitate, in deliberationibus de honestate dicimus, ita ut plerumque hæc ipsa invicem misceantur: de quibus copiosè, & variè, & ornatè nemo dicere potest, nisi qui cognovit naturam humanam, & vim virtutum, pravitatemque vitiorum, & intellectum eorum, quæ nec in virtutibus, neque in vitiis numerantur. Ex his fontibus etiam illa profluunt, ut faciliùs iram judicis vel instiget, vel leniat, qui scit quid ira; promptiùs ad miserationem impellat, qui scit quid sit misericordia, & quibus animi motibus concitetur. In his artibus exercitationibusque versatus orator, sive apud infestos, sive apud cupidos, sive apud invidentes, sive apud tristes, sive apud timentes dicendum habuerit, tenebit habenas animorum: & prout cujusque natura postulabit, adhibebit manum, & temperabit orationem, parato omni

instrumento , & ad omnem usum reposito. Sunt apud quos adstrictum , & collectum , & singula statim argumenta concludens dicendi genus, plus fidei meretur ; apud hos dedisse operam dialecticæ proficit. Alios fusa , & æqualis , & ex communibus ducta sensibus oratio , magis delectat : ad hos permovendos mutuabimur a Peripateticis aptos , & in omnem disputationem paratos jam locos. Dabunt Academicci pugnacitatem , Plato altitudinem , Xenophon jucunditatem : ne Epicuri quidem & Metrodori honestas quasdam exclamations adsumere , hisque , prout res poscet , uti , alienum erit oratori : neque enim sapientem informamus , neque Stoicorum civitatem , sed eum , qui non quasdam artes audire , sed omnes liberaliter debet. Ideoque & juris civilis scientiam veteres oratores comprehendebant , & grammaticâ , musicâ , & geometriâ imbuebantur. Incidunt enim causæ plurimæ quidem , ac pæne omnes , quibus juris notitia desideratur : pleræque autem , in quibus hæ quoque scientiæ requiruntur.

XXXII. Nec quisquam respondeat sufficere ut ad tempus simplex quiddam & uniforme doceamur. Primùm enim

aliter utimur propriis, aliter commoda-
tis: longèque interesse manifestum est,
possideat quis quæ profert, an mutuetur.
Deinde ipsa multarum artium scientia
etiam aliud agentes nos ornat, atque ubi
minimè credas, eminet & excellit. Idque
non doctus modò & prudens auditor, sed
etiam populus intelligit: ac statim ita
laude prosequitur, ut legitimè studuisse,
ut per omnes eloquentiæ numeros ille, ut
denique oratorem etiam fateatur: quem
non posse aliter existere, nec existisse
umquam confirmo, nisi eum, qui, tam-
quam in aciem omnibus armis instructus,
sic in forum omnibus artibus armatus
exierit: quod adeò negligitur ab horum
temporum disertis, ut in actionibus eorum
sex quoque quotidiani sermonis, fœda ac
pudenda vitia deprehendantur, ut igno-
rent leges, non teneant senatus consulta,
jus civitatis ultro derideant: sapientiæ verò
studium & præcepta prudentium penitus
reformident, in paucissimos sensus & an-
gustas sententias detrudant eloquentiam,
velut expulsam regno suo: ut quæ olim
omnium artium domina pulcherrimo co-
mitatu pectora implebat, nunc circumcisæ
& amputata, sine apparatu, sine honore,
pæne dixerim sine ingenuitate, quasi una

ex sordidissimis artificiis, discatur. Ego
hanc primam & præcipuam causam ar-
bitror, cur tantum ab eloquentiâ anti-
quorum oratorum recesserimus. Si testes
desiderantur, quos potiores nominabo,
quam apud Græcos Demosthenem? quem
studiosissimum Platonis auditorem fuisse
memoriæ proditum est. Et Cicero, his,
ut opinor, refert verbis, *quidquid in elo-
quentiâ effecerit, id se non rhetorum, sed
Academiæ spatiis consecutum.* Sunt aliæ
causæ magnæ & graves, quas a vobis ape-
riri æquum est, quoniam quidem ego jam
meum munus explevi, &, quod mihi in
consuetudine est, satis multos offendit:
qui si fortè hoc audirent, certum habeo
dicturos, me, dum juris & philosophiæ
scientiam, tamquam oratori necessariam,
laudo, ineptiis meis plausisse.

XXXIII. Et *Maternus*, mihi quidem,
inquit, suscepsum a te munus adeò pe-
regisse nondum videris, ut inchoasse
tantum, & velut vestigia ac lineamenta
quædam ostendisse videaris. Nam quibus
instrui veteres oratores soliti sint, cixisti,
differentiamque nostræ desidiae & inscien-
tiæ adversùs acerrima & fecundissima eo-
rum studia demonstrasti: cetera exspecto,
ut, quemadmodum ex te didici quid aut

illi scirent, aut nos nesciamus, ita hoc quoque cognoscam, quibus exercitatio-
nibus juvenes, jam & forum ingressi,
confirmare & alere ingenia sua soliti sint:
neque enim arte & scientiâ, sed longè
magis facultate eloquentiam contineri,
nec tu, puto, abnues, & hi significare
vultu videntur. Deinde cùm Aper quoque
& Secundus idem annuissent, *Messala*,
quasi rursus incipiens: Quoniam initia &
seminalia veteris eloquentiæ satis demon-
strasse videor, docendo quibus artibus
antiqui oratores institui eruditique soliti
sint, persequar nunc exercitationes eo-
rum, quamquam ipsis artibus inest exer-
citatio, nec quisquam percipere tot recon-
ditas, aut tam varias res potest, nisi ut
scientiæ meditatio, meditationi facultas,
facultati vis eloquentiæ accedat: per quæ
colligitur eamdem esse rationem, &
percipiendi, quæ proferas, & proferendi,
quæ perceperis: sed si cui obscuriora hæc
videntur, isque scientiam ab exercitatione
separat, id certè concedet, instructum
& plenum his artibus animum, longè
paratiorem ad eas exercitationes venturi-
rum, quæ propriæ circa oratorium vi-
dentur.

XXXIV. ERGO apud majores nostros
G iij

juvenis ille , qui foro & eloquentiæ parabatur , imbutus jam domesticâ disciplinâ , refertus honestis studiis , deducebatur a patre , vel a propinquis , ad eum oratorem , qui principem in civitate locum obtinebat : hunc sectari , hunc prosequi , hujus omnibus dictionibus interesse , sive in judiciis , sive in concionibus adsuescebat , ita ut altercationes quoque excipere , & jurgiis interesse , utque sic dixerim , pugnare in prælio disceret : magnus ex hoc usus , multum constantiæ , plurimum judicii juvenibus statim contingebat , in mediâ luce studentibus , atque inter ipsa discrimina , ubi nemo impunè stultè aliquid , aut contrariè dicit , quominus & judex respuat , & adversarius exprobret , ipsi denique advocati aspernentur. Igitur verâ statim & incorruptâ eloquentiâ imbuebantur : & quamquam unum sequentur , tamen omnes ejusdem ætatis patronos in plurimis & causis & judiciis cognoscebant : habebantque ipsius populi diversissimarum aurium copiam , ex qua facile deprehenderent quid in quoque vel probaretur , vel displiceret. Ita nec præceptor deerat optimus quidem , & elec-tissimus , qui faciem eloquentiæ , non imaginem præstaret : nec adversarii &

æmuli, ferro, non rudibus dimicantes: sed auditorum semper plenum, semper novum, ex invidis & faventibus, ut nec bene dicta dissimularentur. Scitis enim magnam illam & duraturam eloquentiæ famam non minùs in diversis subselliis parari, quàm suis: quin immo constantiùs surgere ibi, fideliùs corroborari. Atque hercule sub ejusmodi præceptoribus juvenis ille, de quo loquimur, oratorum discipulus, fori auditor, sectator judiciorum, eruditus & adsuefactus alienis experimentis, cui, quotidie audienti, notæ leges, non novi judicum vultus, frequens in oculis consuetudo concionum, sæpe cognitæ populi aures, sive accusacionem susceperat, sive defensionem, solus statim & unus cuicunque causæ parerat. Nonodecimo ætatis anno L. Crassus C. Carbonem, uno & vicesimo Cæsar Dolabellam, altero & vicesimo Asinius Pollio C. Catonem, non multò ætate antecedens Calvus Vatinium, iis orationibus insecuri sunt, quas hodieque cum admiratione legimus.

XXXV. At nunc adolescentuli nostri deducuntur in scenas scholasticorum, qui rhetores vocantur: quos paullo ante Ciceronis tempora existisse, nec placuisse

majoribus nostris, ex eo manifestum est; quod, L. Crasso & Domitio censoribus, cludere, ut ait Cicero, ludum impudentiae jussi sunt. Sed, ut dicere institueram, deducuntur in scholas, quibus, non facile dixerim, utrumne locus ipse, an condiscipuli, an genus studiorum plus mali ingenii adferant. Nam in loco nihil reverentiae, sed in quem nemo nisi æquè imperitus intrat. In condiscipulis nihil profectus, cum pueri inter pueros, & adolescentuli inter adolescentulos, pari securitate & dicant, & audiantur. Ipsæ verò exercitationes magnâ ex parte contrariæ. Nempe enim duo genera materiarum apud rhetores tractantur, suasoriæ, & controversiæ. Ex iis suasoriæ quidem, et si tamquam planè leviores & minus prudentiae exigentes, pueris delegantur; controversiæ robustioribus adsignantur, quales per fidem, & quam incredibiliter compositæ! Sequitur autem ut materiæ, abhorrentia veritate, declamatio quoque adhibeat. Sic fit ut tyrannicidarum præmia, aut vitiatarum electiones, aut pestilentiae remedia, aut incesta matrum, aut quidquid in scholâ quotidie agitur, in foro vel raro, vel numquam, ingentibus verbis persequantur: cum ad veros

SUPPLEMENTUM DIALOGI. 153

judices ventum est, [juvenes, puerilibus institutis sine ullâ privati publicique juris experientiâ per plures annos innutriti, nihil afferunt quod fori dignitatem deceat, aut clientium alat utilitates. At vitia, quæ umbratici doctores iis infudere, irreverenter & temere explicant. Hinc, si præceptorem audaciâ turgidum fuerint nacti, hos videas altâ cervice, torvis oculis, plenis buccis, superboque totius corporis habitu declamationum portenta cum inani verborum fragore crepantes. Contrà si iis fuerit doctor ex illo mellitorum hominum grege, qui fucatæ artis lenociniis ingenii famam aucupantur, crispantes cernas adolescentulos, qui renidenti vultu, fractâ pronuntiatione, gestu supplici verba suspendant, sententias intricent, argutias agglomerent, seque ad omnes scenicas artes vertant, quibus fucum faciant, atque suâ admirationem moyeant.

2. **HISTRIONICA** hac institutione eloquentiam perdidimus, quæ non venalibus præceptis, sed egregiâ naturâ in libertatem pronâ & ad quovis motus paratâ, bonâ mente recti verique studiosâ, magnis exemplis, plurimâ legum scientiâ, fervidâ civium patriæque caritate, longâ ac severâ cùm cogitandi, tum scribendi

ac dicendi exercitatione formatur & perficitur. Hæc dum apud nos viguere, floruit simul eloquentia. Ubi senescere cœpere, paullatim quoque eloquentia relanguit; adventitiisque vitiis obruta, jacet conspulta, nec umquam, (utinam mea fallat opinio) resurget. Constat enim ætatum artiumque omnium experientiâ a modicis & rudibus initiiis ad summum perfectumque evectas fuisse bonas hominum mentes: ab illo autem perfectionis apice si semel exciderint, humanarum virium humanæve fortis non esse, unde descensum est regredi.

3. MESSALA, cùm hæc acri intentione dixisset, ad Maternum & Secundum conversus, vestrum est, inquit, altiores illas rerum vices, aut si qua alia est causa cur ab eloquentiâ deflexerimus, evolvere. Tibi enim, Materne, pro poetico tuo jure, credita deûm arcana. Te, Secunde, quidquid in foro reconditum docuere longa experientia ingensque gloria. Tum subridens *Maternus*, a te, Messala, impositas, a nobis suscepitas partes exsequimur. At, licet me deûm interpretem dixeris, prior tamen Secundus sententiam suam aperiat. In his enim, quas tractamus, quæstionibus explicandis, plus valet usus

& meditatio, quam vel divinus numinum
afflatus.

4. OBSEQUAR, inquit *Secundus*; idque tantò libentiùs præstitero, quòd *Messalæ* sententiam potiùs sum confirmaturus, quam novam meamque inducturus. Semper enim existimavi, ut pictores a pictoribus, poetas a poetis, sic oratores ab oratoribus esse instituendos; multúmque vitii esse in scholis rhetorum, qui se doctores eloquentiæ profitentur, quam numquam novere, aut si novere, numquam discipulis sunt tradituri, cùm scholarum tædiis vel decora præceptorum ingenia deterantur, discipulorum obruantur. Lentiùs tamen mutata fuisset veteris eloquentiæ forma, si sola ingruissent scholarum vitia. At ubi supervenere pessima exempla, juvenum licentia, popularisque assentatio, tum eloquentia præcipiti casu in exitiabilem irreparabilemque ruinam prolapsa est; nosque ad eas, quibus nunc coarctamur, diserti sermonis angustias fuimus detrusi. Quàm autem pessimis exemplis id fuerit factum ipsi vidistis.

5. ILLORUM enim temporum meministis, quibus hæc civitas famæ, quam armis literisque paraverat, pertæsa, intentatas iniit vias, ut non majorum, sed

suis, laudibus celebraretur. Reipublicæ libertas in Principum dominationem cesserat, eorumque artibus cavebatur, ut fastiditâ externâ vetereque gloriâ toti ad domesticas novasque delicias convertemur. Dum in hæc otia resolvimur, & suum quisque ingenium miris modis contorquet, quibus ignotos ad gloriam aditus aperiat, omnes vicit infelix L. Annæi Senecæ facilitas. Absit a me inhonesta hæc malignitas, ut veras viri laudes deteram. Egregia in eo sapientiæ studia, nec fractum malorum Principum odiis animum ipse suspexi semperque suspiciam. At neque veritas patitur ut, quam perniciem eloquentiæ intulerit, dissimulem.

6. CETERUM naturâ fortunâque paratus fuit Seneca, ut eam literis mutationem invehheret. Copiosum enim illi erat ingenium, molle, amœnum, eruditio multiplex, majorque commendatio ex sapientiæ studiis, quæ numquam plus laudis obtinenter, quam cum mores perierte. Usus & sæculi sui auribus, dicendi genus attemperavit facile, breve, sermoni proximum, verbis circumcisum, sententiis frequens, & jugi vitiorum infectione ad admirationem compositum. Mirum ut placuit nova hæc orationis species,

in quâ cuivis obvia semperque expedita ingenii ac virtutis ostentatio. Forum Senecæ laudibus statim personuit. Incensa ad imitandum omnium studia. Super hæc adfuit fortuna , quæ eum aulæ deliciis , fortè & libidinibus , immiscuit. Subsecuta mox Caii Cæsaris invidia , deinde pericula , quibus æquè inclaruit. Novissimum tandem ac maximum celebritatis adjumentum Nero Princeps discipulus , post interactor , ingenii famæ pondus & splendorem addidere. Tum puduit eloquentiæ , quæ apud animos novitatis furore circumactos non modò nihil pristinæ dignitatis retinebat , sed cūjus etiam ars cultusque in ludibria verterant. Favebat adhuc temporum ratio , quibus virtus erat pavida , sceleri nihil illicitum. Utrique contraria eloquentia , quæ huic lentior , illi invalidior videbatur. Juvit ergò in hac temporum acerbitate verbis parcere , præcipitare sensus , momento exitium inferre aut avertere , & , si esset pereundum , insigni dicto notescere. His dulcibus Senecæ vitiis tantisque fortunæ varietatibus victa est eloquentia , & diserti sermonis invecta necessitas.

7. M U T A T I S tamen postea temporibus , cùm vigilantissimus Vespasianus ,

priscæ virtutis quâ sese Romana res in
summum laudis fastigium olim extulit
observantissimus, publicam tranquillita-
tem simul & libertatem restituit, studiis
addidit decus & emolumentum, illuxit
spes emendari posse fori ingenia. Con-
spirabat non modò voluntas Principis, qui
optima quæque laudibus & præmiis pro-
movebat: aderant quoque ejus filiorum
exempla, dum literarum monumentis
generis sui nobilitatem, partamque bellis
gloriam amplificant. At præter quām
quòd vitiata semel ingenia, plerumque
sunt inemendabilia, quominus emenda-
rentur obstitit juvenilis licentia & popu-
laris favor. Vobis enim compertum est
quām audacter, post prostratam forensem
eloquentiam, eruperit juvenum licentia.
Nihil modesti, nihil antiqui moris fuit
relicuum. Antè ne nobilissimis quidem
adolescentibus locus erat, nisi aliquo con-
sulari producente, qui eos ostenderet
foro, adsignaret famæ. Ubi autem exarsit
licentia, refractis pudoris & reverentiæ
claustris, omnia omnibus patuere. Ju-
venes sine fautore, sine commendatore,
solâ suâ audaciâ confisi, non inducuntur,
sed irrumpunt. Non eos moratur loci ma-
jestas, legum sanctitas, officii dignitas:

ne eos quidem movet novitatis & tenuitatis suæ conscientia. Quantò quis obscurior , tantò est arrogantior.

8. IN hac mali summâ unicum supererat subsidium , famæ periculum. Leve illud & extremum præsidium infregit Largius Licinius. Is enim , ne fama foret in ancipiti , primus auditores corrogavit , pretio implevit subsellia , ingenti coronâ se accinxit , infinitos clamores conduxit. Quos cùm audiisset Domitius Afer , forense artificium periisse exclamavit. Perire quidem cœperat , nunc verò propè funditus extinctum & eversum est. Nam si paucos exceperis , quos excelsa mens a liberalibus honestisque studiis nondum retraxit , ceteros omnes sequuntur auditores , auctoribus similes , conducti & redempti mancipes. Convenitur in mediâ basilicâ , ubi tam palam sportulæ , quam in triclinio dantur. Ex judicio in judicium pari mercede transitur. Græcâ quidem Latinâque linguâ tantam fœditatem notavimus ; & , ob novam infamiam , novis excogitatis nominibus , *σοφοκλεῖς* illos & *laudicenos* irrisimus. Quibus tamen jocularibus dicteriis vitium non sustulimus ; sed , quod vulgò contingit , celebritatem fiduciamque ei addidimus.

9. INDE crescit in dies indignitas ; nec tantum ingenui , sed & servi , vix pueritiam egressi , ad laudandum trahuntur : nec intelligentes , aut intelligentibus similes , sed ne audientes quidem , maximè si quis imperitissimus , ideoque laudum avidissimus juvenis ad dicendum acceſſerit , basilicas implent clamoribus , aut potius ululatibus. Neque enim alio vocabulo potest exprimi theatris quoque indecora laudatio. Quæ cùm reproto fori nostri propudia , haud miror , Materne , te jam dudum receptui cecinisse , & , cùm perierit forensis gloria , te Musis totum te addixisse. Id unum oro , quoniam nostræ disputationi , de causis corruptæ apud nos eloquentiæ finem impositurus es , addas velim utrum tibi sit meliorum temporum spes , & quæ possit esse emendationis ratio doceas.

10. FATEOR , inquit *Maternus* , me irrepentibus in forum vitiis haud mediocriter fuisse commotum. Magis adhuc me offendebat ; quòd in dies invalesceret ferox scelus , pudendum cùm defendetur , exitiabile si impugnaretur. Nondum tamen a forensi studio fuisset retractus , ni imperiosior natura me Musis devovisset . Certum enim ac deliberatum mihi erat ,

quod in foro nobilissimum & incorruptum supererat sequi, veterum oratorum exempla non eâdem eloquentiæ vi, quam nostra non ferunt tempora, sed pari constantiâ æmulari, pro virili parte adversùs imminentia mala me accingere, & civium fortunas, dignitatem, salutem tueri. At, ut modò dixi, naturæ aliò trahenti parere jussus, ad tranquilliora & securiora Musarum castra transfugi. Animo tamen hæret semper fori amor & cura.

I I. SÆPE etiam, cùm meditabundus solusque obambulo, in forenses revolvor cogitationes, mecumque reproto veteris eloquentiæ casum, diserti nostri sermonis originem, utriusque causas & utilitates. Quid hac super re mihi visum explicabo, non contradicendi studio, neque ut sensus meos persuadeam; sed ut in hac disputatione partes meas impleam, nostrisque vel discordibus sententiis magis elucescat veritas. Ignoscat itaque Aper, si hujus temporis ingenia majorum ingeniis non anteferam, licet nostra minimè deprimam. Ne succenseat Messala, quem tu quoque, Secunde, adfectatus es. Vitia, quæ acerimè, ut integerrimos decebat viros, exagitastis, ego pariter odi. Vos tamen rhetoribus haud ita infenos voluisse,

non quòd eos renovandæ eloquentiæ habiles existimem, sed quòd multos noverim morum integritate, severitate disciplinæ, literarum cultu formandæ juventuti utilissimos. Hos etiam inter unus eminere cœpit, qui quantùm hac in re consequi valet humana industria, tantum præstabit. Illum prior ætas laudasset, mirabitur postera. At ne tibi, Secunde, vana spes illudat: neque hujus, neque aliūs cuiusvis artificio reviviscet eloquentia, quam, cùm nondum pullulassent nostræ ætatis vitia, rerum & temporum necessitate amisimus.

12. N I H I L enim hic constans & æternum: omnia mutationi obnoxia. Atque ut corporibus valetudinis, ita quoque ingenii fatale est summum claritatis incrementum. Ubi primùm crescere non possunt, statim decrescunt, & semper in deteriorius vergunt. Ea est humanarum rerum suprema lex, cui omnis ætas, gentes omnes, quæ suâ memoriam reliquere, ante nos paruerunt. Insuper viget egregia quidem, dura tamen, naturæ necessitas, numquam magis quam in literis potens. Una enim & simplex unicum tantum modò patitur exemplar, ad quod, si semel emicuit, accedere arduum est,

quod superare velle vanum est & absurdum. Ineluctabile illud fatum ne vincere quidem potuit ipsa Græcia , fecundissima ingeniorum parens. Unicus illi Homerus , unicus Plato , unicus Demosthenes. Par lege premimur ; nec vereor superba futuræ ætatis judicia : ut apud nos unicus est Virgilius , unicus quoque erit Cicero. Per septingentos ferme annos de hac exemplaris gloriâ oratoribus nostris certare licuit. Postquam intonuit sublime & eloquentissimum Ciceronis os , desit certamen. Occupatâ eloquentiæ gloriâ , nova laus per disertum dicendi genus fuit quaerenda , quod ipsa invexisset mutata reipublicæ forma.

13. TEMPORIBUS enim & fortunæ semper attemperata est oratio. Apud agrestes ferosque homines , pauca sunt verba , dura , ac vix juncta , quæ necessitatibus tantum sufficiant. Contrà iis , qui Principum arbitriis reguntur , regnorumque tranquillitati & opibus insuevere , elegans copiosusque sermo , ad assentationem compositus , qui otio & luxui abunde suppetat. Gentibus autem , quæ communis societatis legumque vinculo continentur , at primævum libertatis jus retinuere , quod singuli vel capitum periculo defendere

teneantur , & a nemine sine scelere vio-
lari valeat , prompta , acris , vivida pu-
gnaxque oratio. Et si fortè interna oriantur
dissidia , aut si externa vis servitium mi-
nitans ingruat , statim in eloquentiæ
fulmina erumpunt , quibus aut turbida
ingenia seditionum flamas exsuscitant ,
aut egregii cives publicos hostes arceant ,
& commune libertatis bonum tueantur ,
eloquentiâ suâ haud minùs , quàm armis ,
terribiles.

14. INDE liberas apud gentes nobilitata
tot oratorum nomina. Inde oratorum
summus , Demosthenes , ad summum
eloquentiæ gloriæque fastigium evectus
est. Vedit patriam , deliciis diffuentem ,
opibus corrumphi facilem , nec jam servi-
tium paventem. Vedit patriæ inhiantem
regem , victoriis nobilem , exercitibus for-
midandum , auri copiâ superbum , dolo ,
virtute potentem , omnia ausurum , dum
modò invisam sibi libertatem exscinderet.
Unus Demosthenes , solâque suâ eloquen-
tiâ armatus , adversùs domesticos exter-
nosque hostes stat interritus : patriam a
veterno revocat , & novo libertatis amore
succendit : Philippum eludit , artes ejus
retegit , ei conflat odia. Quantis opus fuit
eloquentiæ fulguribus , ut animos per-

stringeret? Quantâ orationis vi, ut parata tot machinamenta subverteret? Quot illi subeunda pericula! At iis valeſcebat discriminibus, Patriæ caritate, servitii odio, libertatis æſtu instinctus, certâque immortalitatis ſpe, quam iam praefentiscebat, animatus, nihil valebat niſi excelfum, niſi sublime, ſine ullo privatæ utilitatis ſtudio, ob patriam tantum & publicam] rem cogitare, nihil humile, nihil abjectum eloqui poterat.

XXXVI. MAGNA eloquentia, ſicut flamma, materiâ alitur, & motibus excitatur, & urendo clareſcit. Eadem ratio in nostrâ quoque civitate antiquorum eloquentiam provexit. Nam etſi horum quoque temporum oratores ea consecuti ſunt, quæ, compositâ, & quietâ, & beatâ republicâ, tribui fas erat: tamen iſtâ perturbatione ac licentiâ plura ſibi adſequi videbantur, cum, mixtis omnibus, & moderatore uno carentibus, tantum quisque orator ſaperet, quantum erranti populo persuaderi poterat. Hinc leges affiduae & populare nomen, hinc conſciones magistratum pene pernoctantium in roſtris, hinc accusations potentium reorum, & adſignatae etiam domibus inimicitiae, hinc proculrum factio[n]es, &

assidua senatūs adversūs plebem certamina : quæ singula et si distrahebant rem publicam , exercebant tamen illorum temporum eloquentiam , & magnis cumulare præmiis videbantur ; quia quanto quisque plus dicendo poterat , tantò facilius honores adsequebatur ; tantò magis , in ipsis honoribus , collegas suos anteibat ; tantò plus apud principes gratiæ , plus auctoritatis apud patres , plus notitiæ ac nominis apud plebem parabat : hi clientelis etiam exterarum nationum redundabant : hos ituri in provincias magistratus reverebantur , hos reversi colebant : hos & præturæ & consulatus vocare ultro videbantur : hi ne privati quidem sine potestate erant , cùm & populum , & senatum consilio & auctoritate regerent : quin immo sibi ipsi persuaserant , neminem sine eloquentiâ aut adsequi posse in civitate , aut tueri conspicuum & eminentem locum : nec mirum , cùm etiam inviti ad populum producerentur : cùm parum esset in senatu breviter censere , nisi qui ingenio & eloquentiâ sententiam suam tueretur : cùm in aliquam invidiam aut crimen vocati , suâ voce respondendum haberent , cùm testimonia quoque in publicis non absentes , nec per tabellam

dare , sed coram & præsentes dicere co-
gerentur. Ita ad summa eloquentiæ præ-
mia magna etiam necessitas accedebat ,
& commoda. Disertum haberi , pulchrum
& gloriosum : sed contrà mutum & elin-
guem videri , deformè habebatur. Ergo
non minùs rubore , quām præmiis stimu-
labantur : ne clientelarum loco potiùs ,
quām patronorum numerarentur : ne tra-
ditæ a majoribus necessitudines ad alios
transirent : ne tamquam inertes , & non
suspecturi honoribus , aut non impetra-
rent , aut impetratos malè tuerentur.

XXXVII. NESCIO an venerint in
manus vestras hæc vetera , quæ & in an-
tiquorum bibliothecis adhuc manent , &
cùm maximè a Muciano contrahuntur :
ac jam undecim , ut opinor , Actorum
libris , & tribus Epistolarum composita ,
& edita sunt. Ex his intelligi potest Cn.
Pompeium & Marcum Crassum non viri-
bus modò & armis , sed ingenio quoque
& oratione valuisse : Lentulos , & Metel-
los , & Lucullos , & Curiones , & ceteram
procerum manum , multum in his studiis
opere curæque posuisse : nec quemquam
illis temporibus magnam potentiam , sine
eloquentiâ , consecutum. His accedebat
splendor rerum , & magnitudo causarum ,

quæ & ipsa plurimum eloquentiæ præstant. Nam multum interest, utrumne de furto, aut formulâ, & interdicto dicendum habeas, an de ambitu comitiorum, expilatis sociis, & civibus trucidatis: quæ mala sicut non accidere melius est, isque optimus civitatis status habendus est, quo nihil tale patimur: ita cùm acciderent, ingentem eloquentiæ materiam subministrabant. Crescit enim cum amplitudine rerum vis ingenii, nec quisquam claram & illustrem orationem efficere potest, nisi qui causam parem invenit. Non, opinor, Demosthenem orationes illustrant, quas adversus tutores suos composuit: nec Ciceronem, magnum oratorem P. Quintius defensus aut Licinius Archias faciunt: Catilina, & Milo, & Verres, & Antonius, hanc illi famam circumdederunt: non, quia tanti fuit reipublicæ malos ferre cives, ut uberem ad dicendum materiam oratores haberent: sed, ut subinde admoneo, quæstionis meminerimus, sciamusque nos de eâ re loqui, quæ facilius turbidis & inquietis temporibus exstitit. Quis ignorat utilius ac melius esse frui pace, quam bello vexari? Plures tamen bonos præliatores bella, quam pax ferunt. Similis eloquentiæ conditio. Nam quo
sæpius

sæpius steterit tamquam in acie , quóque plures & intulerit ictus , & exceperit , quò major adversarius , eò acrior , qui pugnas sibi asperas defumpserit , tantò altior , & excelsior ; & illis nobilitatus criminibus , in ore hominum agit , quorum ea natura est , ut secura velint.

XXXVIII. TRANSEO ad formam & consuetudinem veterum judiciorum : quæ etsi nunc aptior est veritati , eloquentiam tamen illud forum magis exercebat , in quo nemo intra paucissimas horas pérorare cogebatur , & liberæ comperendinationes erant , & modum dicendi sibi quisque sumebat , & numerus neque dierum neque patronorum finiebatur. Primus hujusmodi spatha , tertio consulatu , Cn. Pompeius adstrinxit , imposuitque veluti frenos eloquentiæ , ita tamen , ut omnia in foro , omnia legibus , omnia apud prætores gererentur : apud quos quantò majora negotia olim exerceri solita sint , quod majus argumentum est , quām quòd causæ centumvirales , quæ nunc primum obtinent locum , adeò splendore aliorum judiciorum obruebantur , ut neque Ciceronis , neque Cæsaris , neque Brutii , neque Cœlii , neque Calvi , non denique ullius magni oratoris liber

apud centumviros dictus legatur, exceptis orationibus Asinii, quæ pro heredibus *Urbiniæ* inscribuntur, ab ipso tamen Pollione mediis divi Augusti temporibus habitæ, postquam longa temporum quies, & continuum populi otium, & assidua senatūs tranquillitas, & maximi Principis disciplina, ipsam quoque eloquentiam, sicut omnia alia, pacaverat?

XXXIX. PARVUM & ridiculum fortasse videbitur, quod dicturus sum, dicam tamen, vel ideo, ut rideatur. Quantum humilitatis putamus eloquentiæ atluisse penulas istas, quibus adstricti & velut inclusi cum judicibus fabulamur? quantum virium detraxisse orationi auditoria & tabularia credimus, in quibus jam fere plurimæ causæ explicantur? Nam quomodo nobiles equos cursus & spatia probant; sic est aliquis oratorum campus, per quem nisi liberi & soluti ferantur, debilitatur ac frangitur eloquentia. Ipsam quinimmo curam & diligentis styli anxietatem contrariam experimur: quia sæpe interrogat judex; quando incipias: & ex interrogatione ejus incipiendum est. Frequenter probationibus & testibus, silentium patronus indicit: unus inter hæc dicenti ac alter adsistit, & res velut in

solitudine agitur. Oratori autem clamore plausuque opus est, & velut quodam theatro: qualia quotidie antiquis oratoribus contingebant: cùm tot pariter ac tam nobiles forum coarctarent: cùm clientelæ quoque, & tribus, municipiorum etiam legationes, ac pars Italiæ periclitantibus adfisteret: cùm in plerisque judiciis crederet populus Romanus suâ interesse quid judicaretur. Satis constat C. Cornelium, & M. Scaurum, & T. Milonem, & L. Bestiam, & P. Vatinium, concursu totius civitatis & accusatos & defensos: ut frigidissimos quoque oratores, ipsa certantis populi studia, excitare & incendere potuerint. Itaque hercule ejusmodi libri exstant, ut ip̄si quoque, qui egerunt, non aliis magis orationibus censeantur.

XL. JAM verò conciones assiduæ, & datum jus potentissimum quemque vexandi, atque ipsa inimicitiarum gloria, cùm se plurimi disertorum, ne a P. quidem Scipione, aut Sullâ, aut Cn. Pompeio abstinerent, & ad incessendos principes viros, ut est natura invidiæ, populi etiam histriones auribus uterentur, quantum ardorem ingeniis, quas oratoribus faces admovebant! Non de otiosâ & quietâ re loquimur, & quæ probitate & modestiâ

gaudeat: sed est magna illa & notabilis eloquentia, alumna licentiæ, quam stulti libertatem vocabant, comes seditionum, effrenati populi incitamentum, sine obsequio, sine servitute, contumax, temeraria, arrogans, quæ in bene constitutis civitatibus non oritur. Quem enim oratorem Lacedæmonium, quem Cretensem accepimus? quarum civitatum severissima disciplina, & severissimæ leges traduntur. Ne Macedonum quidem, ac Persarum, aut ullius gentis, quæ certo imperio contenta fuerit, eloquentiam novimus. Rhodii quidam, plurimi Athenienses oratores extiterunt, apud quos omnia populus, omnia imperiti, omnia, ut sic dixerim, omnes poterant. Nostra quoque civitas, donec erravit, donec se partibus, & dissensionibus, & discordiis confecit, donec nulla fuit in foro pax, nulla in senatu concordia, nulla in judiciis moderatio, nulla superiorum reverentia, nullus magistratum modus, tulit sine dubio valentiores eloquentiam, sicuti indomitus ager habet quasdam herbas lætiores. Sed nec tanti reipublicæ Gracchorum eloquentia fuit, ut pateretur & leges: nec bonæ formam eloquentiæ Cicero tali exitu pensavit.


XLI. Sic quoque, quod superest ex antiquis oratoribus, forum, non emendatæ, nec usquam ad votum compositæ, civitatis argumentum est. Quis enim nos advocat, nisi aut nocens, aut miser? quod municipium in civitatem nostram venit, nisi quod aut vicinus populus, aut domestica discordia agitat? quam provinciam tuemur, nisi spoliatam vexatamque? Atqui melius fuisset non queri, quam vindicari. Quòd si inveniretur aliqua civitas, in quâ nemo peccaret, supervacuus esset inter innocentes orator, sicut inter sanos medicus. Quomodo tamen minimum usûs minimumque profectûs ars mendentis habet in his gentibus, quæ firmissimâ valetudine ac saluberrimis corporibus utuntur: sic minor oratorum obscuriorque gloria est inter bonos mores, & in obsequium regentis paratos. Quid enim opus est longis in senatu sententiis, cùm optimi citò consentiant? Quid multis apud populum concionibus, cùm de republicâ non imperiti & multi deliberent, sed sapientissimus & unus? Quid voluntariis accusationibus, cùm tam raro & tam parcè peccetur? Quid invidiosis & excedentibus modum defensionibus, cùm clementia cognoscentis obviâm pericli-


tantibus eat? Credite, optimi, &, in quantum opus est, disertissimi viri, si aut vos prioribus saeculis, aut isti, quos miramur, his nati essent, ac deus aliquis vitas vestras, vestra tempora repente mutasset; nec vobis summa illa laus & gloria in eloquentia, neque illis modus & temperamentum defuisse. Nunc quoniam nemo eodem tempore adsequi potest magnam famam & magnam quietem, bono saeculi sui quisque, citra obtrectationem alterius, utatur.

XLII. FINIERAT Maternus. Tum *Messala*: erant quibus contradicerem, erant de quibus plura dici vellem, nisi jam dies esset exactus. Fiet, inquit *Maternus*, postea arbitratu tuo, & si qua tibi obscura in hoc meo sermone visa sunt, de his rursus conferemus. Ac simul adsurgens, & Aprum complexus, Ego, inquit, te poetis; *Messala*, antiquariis, criminabimur. At ego vos rhetoribus & scholasticis, inquit. Cum adrisissent, discessimus.



N O T A E
I N L I B R U M
C. CORN. TACITI
DE MORIBUS GERMANORUM,
VITAM AGRICOLÆ,
DIALOGUM DE ORATORIBUS,
E T
IN SUPPLEMENTUM DIALOGI.





NOTE

IN LIBRUM

C. CORN. TACITI

DE MORIBUS

GERMANORUM.

LIBRUM C. Cornelii Taciti de situ, moribus, & populis Germaniæ, meditandum potius, quam legendum, paulo fusiùs sum expositorus, quod in eo juris nostri politici fontes lateant. Verè enim dixit Cl. de Montesquieu, *Esprit des Loix*, XXX, 19. *Il est impossible d'entrer un peu avant dans notre droit politique, si l'on ne connaît parfaitement les loix & les mœurs des peuples Germains.* Brevis quidem est libellus, sed alto Taciti ingenio & immensâ rerum copiâ plenus; quem paucis, sed egregiè, laudavit idem Cl. de Montesquieu, loc.

cit. cap. 2. Tacite fait un ouvrage exprès sur les mœurs des Germains : il est court, cet ouvrage ; mais c'est l'ouvrage de Tacite, qui abrégéoit tout, parce qu'il voyoit tout.

CAP. I. *Germania omnis.* Germania, de quâ nunc agitur, est Transrhena. Ad Occasum Rheno, ad Meridiem Danubio, ad Orientem Vistulâ, Sarmatiâ Daciâque, ad Septemtrionem Oceano terminatur. Occidentem versùs prætenduntur Galli, versùs Meridiem Ræti & Pannonii, versùs Orientem Sarmatæ & Daci ; cetera versùs Septemtrionem ambit Oceanus, latos sinus, *les Golfes de Bothnie & de Finlande*, complectens.

Gallis. Galliâ Belgicâ, quæ superiorem inferioremque Germaniam cis Rhenum continebat.

Rætisque. Malè vulgò Rætiis. Hæc de populis, non de regionibus sunt intelligenda. Vide priorem Taciti editionem, Tom. IV, pag. 173. Ræti latissimè patebant, easque regiones occupabant, quas nunc dicimus, *le pays des Grisons, partie de la Suabe & de la Baviere.*

Aut montibus. Montibus Sarmaticis, nunc *les Montagnes de Hongrie*; &, ubi non erant montes, mutuo metu bellicosorum populorum.

Immensa spatia. Incomptâ Romanis hac terrarum parte, Scandinaviam, *la Scandinavie*, & Eningiam, *la Finlande*, insulas esse falso existimabant, ut opportuniūs dicetur infrà cap. 44.

Nuper cognitis. Verè *nuper cognitis.* Locum hunc egregiè illustrat Plautii Æliani monumen-
tum, quod edidi in priore Taciti editione, Tom.
III, pag. 512. Ibi memoratur Plautius, proprætor
Mœsiæ, qui plura quām centum millia ex numero
Transdanubianorum ad præstanta tributa cum
conjugibus ac liberis & principibus aut regibus
suis transduxit; motum Orientem Sarmatarum

compressit; ignotos antè aut infensos populo Romano reges signa Romana adoraturos in ripam quam tuebatur perduxit; regibus Bastarnarum & Rhoxolanorum filios, regibus Dacorum fratres captos aut hostibus ereptos remisit; ab aliquibus eorum obsides accepit, per quæ pacem provinciæ & confirmavit & protulit. Adde Domitiani bella, quibus fortè reges aliquot innotuere.

Ræticarum Alpium. Nunc les montagnes des Grisons. Mons verò, cuius e vertice Rhenus oritur, hodie dicitur *Vogelberg*. Vide Cl. Marsili, *Danubius Pannonicō-Mysicus*, Tom. 6, tabul. 4. Quomodo Rhenus in Oceanum effundatur dictum est suprà Annal. II, 6.

Montis Abnobæ. Mons ille Germanis nunc dicitur *Schwartz-wald*, Gallis la Forêt noire. Hic, diu ignorata, Danubii originem feliciter detexit illustr. Comes Marsili, anno 1702. Vide eruditum ejus opus, jam laudatum, Tom. VI, pag. 4. Danubii origo a *Doneschingen* perperam antea ducebatur. Agathemerus II, 4, ait Danubium a suis fontibus ad *Vindoboniam*, *Vienne*, dici; Istrum verò a *Vindobonâ* ad Pontum Euxinum appellari. At Plinius IV, 12, sect. 24, unde primùm *Illyricum* alluit Istrum vocari scribit.

In Ponticum mare. Nunc la Mer noire. Rem hactenus inauditam prodidit literis Constantinopoli scriptis anno 1713 unus e Missionariis Societatis Jesu: scilicet fluenta Danubii per mare Ponticum ad Mediterraneum usque, proprio colore distincta, ita devolvi, ut naves ex Ægeo mari, l'Archipel, in Propontidem, la Mer de Marmora, nisi adverso fluminis impetu, sese pleno alveo exonerant, transfretare non possint. Hoc nos docuit Cl. Homannus *Danubii Tabulâ novissimâ*. Quædam tamen, haud absimilia, jam prodiderat Plin. IV, 12, sect. 24, singula, inquit, Istri ora tanta

sunt, ut prodatur in quadraginta millia passuum longitudinis vinci mare, dulcemque intelligi haustum.

CAP. II. Indigenas. Indigenæ, & quasi e terrâ prognati, veteribus scriptoribus dicti sunt populi omnes, quorum origo eos latebat. Nostram superioremque ætatem meliora docuit major eruditio-
nis copia, facilior frequentiorque peregrina-
tionum usus, ac maximè linguarum notitia. Iis
subsidiis aperta mundi commercia. Eruditis omni-
bus jam compertum Scythicam esse Germanorum
originem. Ipsaque **Germania Scythiae contermina**,
Plin. VIII, 15.

Adventibus & hospitiis. Aliter & verè ipse Tacitus infrà cap. 28 & 43, Gallos, Gothinos, & Osos, advenas atque hospites memorat. His tamen adventibus & hospitiis minimè mixtos fuisse Germanos, censem eruditii Germani: vim imperii penes eos semper fuisse: alienigenas verò precariò tantùm, & ut vulgò loquimur *par droit d'aubaine*, habitasse.

Nec terra olim. Immo primùm terrâ, deinde classibus, sed serò, & cùm artes adolevissent, mutatae hominum sedes.

Adversus Oceanus. Bene quidem. Nec antiquitus tantùm, sed, vigente etiam imperio Romano, adversus Oceanus rarís navibus adibatur, ob exiguam rei nauticæ scientiam. Drusus, pater Claudii Imperatoris, *Oceanum Septentrionalem primus Romanorum ducum navigavit*, Sueton. in Claud. cap. 1. Quantum autem discriminis, violentiâ Oceani, adierit Germanicus, vidimus suprà Annal. II, 23.

Germaniam peteret. Nondum satis valida ratio. Rudes barbarique homines tutas potius, quam lxtas, sedes quæsiere. Inde loca horrida, quæ vix

habitari posse credereimus, a nonnullis antehabita. Fateor, gratissimæ sunt Asiæ, Africæ, Italiæque sedes. At neque statim florentes fuere, sed lentè, vigentibus imperiis, & adulto luxu. Præterea nec illæta Germania, nec suis caret commodis: immo viris virtutique aptissima. Adde non statim relictas sedes lœtissimas, ut tristiores occuparentur: sed, ut in Germaniâ, de quâ nunc agitur, immorer, Asia, hominibus fœta, primùm in Scythiam effusa: Scythia in conterminam Germaniam: ac si quid decepsit voluptati, accrevit humanitati, ut toto hoc libro demonstrabitur.

Carminibus antiquis. Omnibus retro sæculis, & apud barbaras omnes gentes, ut ex Americæ populis nobis adhuc compertum, idem fuit carminum usus, eadem utilitas. Carolus Magnus, teste Eginhardo, in ejus vitâ, cap. 29, *barbara & antiquissima carmina, quibus veterum regum actus & bella canebantur, scripsit, memoriæque mandavit.*

Tuistonem. Utrum Tuistonis nomine lateat Dei, rerum omnium conditoris, memoria; Mannusque referat vel Adam, ejusque tres filios Cain, Abel & Seth, vel Noe & ejus liberos, Sem, Cham & Japhet: an Tuisto, ut sensit Cl. Leibnitius, sit ipse Teut, aut Teutates, Gallorum Hispanorumque cultu & famâ celeberrimus, id est rex herosve Celto - Scytha, qui magnam Asiæ & Europæ partem armis occupaverit, hominumque mores formaverit, variis agitatur disputationibus, quas non est instituti nostri fusiùs persequi.

Quidam autem. Duas inter illas sententias mediam protulit, & quinque gentium capita recenset Plinius IV, 14. *Germanorum genera quinque. Vindili, quorum pars Burgundiones, Varini, Carini, Guttones. Alterum genus Ingævones, quorum pars Cimbri, Teutoni, ac Chaucorum*

gentes. Proximi autem Rheno, *Istævones*, quorum pars *Cimbri* mediterranei. *Hermiones*, quorum *Suevi*, *Hermunduri*, *Catti*, *Cherusci*. Quinta pars *Peucini*, *Basternæ*, supra dictis contermini *Dacis*. De singulis hisce populis opportunius suis locis dicetur.

Gambriovios. Eos unus Tacitus, & hoc tantum loco, memorat. Nempe Marsorum & Gambriovorum diu nomina periere.

Vandalios. Idem sunt, quos Plinius supra cit. *Vindilos* appellat. *Vandalii*, seu *Vandali*, Galliam, Hispaniam, Africam, Italiam terruere; at tandem in Africâ excisi sunt. Unum superest *Suevorum* nomen.

Vera & antiqua. *Marsi*, *Gambriivi*, *Suevi*, *Vandalii* sunt vera & antiqua nomina. Contra vero *Ingævones*, *Hermiones*, *Istævones*, fabilosa, nec tam populorum, quam locorum situsque vocabula. Nempe *Ingævones* sunt juxta eruditos Germanos die *Innvohner*, id est, versus mare interius habitantes, Gallicè *les habitants du fond*: *Istævones*, die *Vestvohner*, versus occidentem habitantes, *les habitants de l'Occident*. *Hermiones*, die *Herrumvohner*, in medio habitantes, *les habitants du milieu*. Unde forte nec *Hermiones*, nec *Herminones*, sed *Hermivones*, sunt dicendi.

Germaniæ vocabulum recens. Primò fuere tantum nomina populorum; postea fuere & virtutis cognomina: sic dicti sunt *Gerinani*, id est viri bellicosi, ut mox explicabitur. Ab illo cognomine, terra ipsa appellata est *Germania*. Quod *Germaniæ vocabulum recens*, & nuper additum. *Germanorum* autem nomen jam pridem auditum, ut constat ex Fastis Capitolinis, apud Cl. Piranesi, *Lapides Capitolini*, pag. 42, M. CLAVDIVS M. F. M. N. MARCELLVS. AN. DXXXI. COS. DE. GALLEIS.

INSVBIBVS. ET. GERMAN. K. MART. ISQVE.
SPOLIA. OPIMA. RETTVLIT. DVCE. HOSTIVM.
VIRDVMARO. AD. CLASTIDIVM. INTERFECTO.
Galli Insubres, eorumque socii, mercedeve con-
ducti, Germani, cæsi sunt ad Clastidium, nunc
Chiastezzo, dans le Milanez, anno Urbis conditæ
DXXXI, juxta Fastos Capitolinos, ante Christum
222.

Gallos expulerint. Inde cùm de Belgis quæreret Julius Cæsar, Bell. Gall. II, 4, reperiebat plerosque Belgas esse ortos a Germanis, Rhenumque antiquitus transductos propter loci fertilitatem ibi consedisse: Gallosque, qui ea loca incolerent, expulisse.

Nunc Tungri, tunc Germani. Rem egregiè illustrat Julius Cæsar Bell. Gall. loc. cit. docetque primos, qui Rhenum transgressi sunt, fuisse *Condruſos*, *Eburones*, *Cærefos*, *Pæmanos*, qui uno nomine Germani appellantur. Germanus, id est *Wehr mann*, armorum vir, *homme d'armes*, *homme de guerre*. Vetus enim & frèquens *W* in *G* mutatio. Primo nomen hoc fuit nationis vicitricis *Cisrhenanæ*, non verò totius gentis *Transrhenanæ*: sed paulatim evaluit; & *Transrhenani* omnes nomen, quod victor ob metum incutendum repererat, ipsi usurpavere, reputantes idem nominis ob bellicæ gloriæ claritudinem sibi deberi. Tungrorum olim magnum fuit nomen; exstatque adhuc veteris gloriæ memoria in eâ locorum amplitudine, quam dicimus, *l'ancien diocèse de Tongres*. Observandum autem est eumdem esse Tungrorum locum, quem Franci, duce Pharamundo, primum occupavere, quem postea Clodoveus Magnus armis recepit. Et hæc sunt Francici nostri regni incunabula.

Et Herculem. Nulla exstitit bellicosa gens, quæ Herculem, id est virum, stupendâ vi gran-

dibusque factis insignem, non habuerit; eoque non superbierit. Sunt quoque eruditii viri, qui existiment coloniarum duces ab Asiam profectos, ut diversas Europae regiones occuparent, vulgo vocitatos fuisse Hercules.

Virorum fortium. Sic suprà Annal. II, 88; de Arminio dictum, caniturque adhuc barbaras apud gentes.

CAP. III. *Barditum vocant.* Sunt qui *barritum* mallent: at *barrire elephantorum* est, quos ne noverant quidem Germani. *Bardire* verò cervorum est, quos saepissimè audiebant continuoque venabantur tum Germani, tum Galli, apud quos celeberrimus fuit barditus. Inde vates, qui hoc modulo utebantur, dicti sunt bardi. De quibus egregiè Lucanus I, 447.

*Vos quoque, qui fortes animas, belloque peremptos
Laudibus in longum vates dimittitis ævum,
Plurima securi fudistis carmina bardi.*

Canadensisbus quoque populis sua sunt carmina; *des chansons de guerre*, cuique genti, cuique etiam familiæ propria. Vide P. de Charlevoix, *Journal historique d'un voyage de l'Amérique*, Lettre XIV, pag. 217.

Fabuloso errore. Bene quidem. Hac tamen fabulâ, multi, ut laudem scientiæ quærerent, populorum origines historiarumque initia corruperent.

Asciburgiumque. *Asciburgium*, nunc *Asbourg*; dans le comté de Meurs.

Incolitur. Ibi erant hiberna alæ, ut vidimus suprà Hist. IV, 33. Ibi Cluverii ætate reperta antiquitatis Romanæ rudera.

Græcis literis inscriptos. Neque ita mirum; cùm a Græcis ad Gallos, Germanosque literæ

devenerint. Quâ de re plura dixi in priore Taciti editione Tom. IV, pag. 176.

Idem omnibus. Pariter Juvenalis Satyr. XIII, 164.

*Cærula quis stupuit Germani lumina? flavam
Cæsariem, & madido torquentem cornua cirro?
Nempe quod hæc illis natura est omnibus una.*

Rutilæ comæ. Inde Seneca, de irâ, III, 26. *Iniquus autem est, qui commune vitium singulis objecit. Non est Aethiopis inter suos insignitus color: nec rufus crinis, & coactus in nodum apud Germanos: utrumque decet.* Rutilatos arte crines vidimus suprà in Supplemento Annal. VIII, 38.

Magna corpora. Sic Annal. I, 64 Germanorum procera membra; & Hist. V, 18, immensa corpora. Videtur Germanorum plurimos tunc saltem sex pedibus altos fuisse. Èâ proceritate adhuc valabant ætate Sidonii Appollinaris. Inde, inter victores Germanos positus, excusat, quòd senipedes verius non scribat. Libr. XII, carm. 12, vers. 10.

*Spernit senipedem stylum Thalia,
Ex quo septipedes videt patronos.*

Fortè & ipse senipés, id est, quinque pedibus, & sex circiter unciis, ut Gallicè loquimur, *de cinq pieds près de six pouces.* Pes enim Romanus æquat ferme pedis Gallici uncias undecim. Contrà verò Germani septipedes erant, id est, alti pedes sex & uncias fere quinque, *six pieds près de cinq pouces.* Sidonius, VIII, Epist. 9, memorat adhuc Burgundiones septipedes. Ob hanc Germanorum proceritatem, Varro I *Hebdomadum* dixisse videtur summum adolescendi humani corporis septem pedes. *Cuncto mortalium generi minorem in dies fieri mensuram observat* Plinius VII, 16. Quod

non ita certum est. Superiore enim & hoc nostro sæculo vidimus homines , qui erant septem, octo etiam , & amplius pedes alti.

CAP. V. Noricum ac Pannoniam. La Baviere ; l'Autriche.

Impatiens. Tunc enim acriora , longioraque erant frigora , cum terra silvis horreret. Sic apud Canadenses populos , in Americâ , cælum solumque mitescere cœperunt, cum immensa silvarum spatia incensa sunt. Adde Germanos ne frugiferas quidem arbores coluisse , solasque segetes terræ imperasse , ut dicetur infrâ cap. 26.

Plerumque improcera. Id jam observatum supra Annal. IV , 72. At cur magna hominum corpora, pecorum improcera ? Causa , ni fallor , quod homines validis exercitiis , vitâ liberrimâ , & omnibus curis vacuâ , copiosis pinguibusque cibis , largo potu in magnitudinem excrescerent. Contrà pecora pluviis , frigore , gelu diu rigida minuerentur, sine cå frontis gloriâ , quæ adeò vividè emicat in iis omnibus locis , ubi serenum suumque est cælum. Mutato postea Germaniæ cultu , mutata quoque pecorum forma , & fuere proceriora. Pecora autem sunt oves , capræ , boves , jumenta , &c. Armenta maximè boves. Vide Digest. libr. XXXII , de legatis & fideicommissis 3 , leg. 81 , & libr. L , Tit. 16 , de verborum significatione , leg. 89.

Nec tamen adfirmaverim. Meritò quidem. Nam ipse Tacitus , cum postea Annales scriberet , prodit Annal. XI , 20. Curtium Rufum in agro Mattiaco reclusisse specus , quærendis venis argenti , tenuemque fuisse fructum. Nunc verò compertum inter cetera metalla nonnullas auri argentique fodinas in Germaniâ repetiri. Rariores sunt auri fodinæ ; exstant tamen , & in quibus non fulvum

modò , sed album quoque aurum invenitur. Vide Balbinum , *Miscellanea Historica regni Bohemiæ* , Tom. I , pag. 37 , 40 & seqq.

Non in alia vilitate. Id est , pari vilitate ; seu æquè vilia , & iisdem usibus , ac quæ humo finguntur.

Serratos , Bigatosque. Interiores Germani simpliciter agebant , & , ut mos barbaris omnibus , permutatione utebantur. Rheni autem & Danubii tipis proximi , ob usum commerciorum , aurum & argentum in pretio habebant : formas quasdam Romanæ pecuniaæ agnoscebant , atque eligebant. Pecuniam probabant veterem & diu notam , serratos maximè & bigatos denarios. Quâ in re se cautissimos præbebant , more barbarorum , qui falli se semper opinantur. Nam invalescentibus apud Romanos vitiis , corrupta fuerat moneta. *Livius Drusus in tribunatu plebis octavam partem æris argento miscuit , Plin. XXXIII , 3.* Miscuit denario triumvir Antonius ferrum. Miscentur æra falsæ monetæ : alii e pondere subtrahunt ... igitur ars facta denarios probare , Plin. XXXIII , 9. Germani , ne his faudibus deciperentur , pecuniam probabant veterem & diu notam ; eligebant maximè denarios serratos , id est quorum margines in modum serræ erant incisi : sic enim apparebat sincerine nummi & solidi argento , an adulterini , intus ferro æreve pleni , & extrâ argenti bracteâ obtecti , quales olim multos vidi in Museo Collegii Ludovici Magni. Eligebant quoque bigatos denarios. Eorum nominis originem docet Plinius , XXXIII , 3. *Nota argenti fuere bigæ atque quadrigæ :* & inde bigati quadrigatique dicti. Bigati autem erant optimo argento , & Imperatorum denariis ponderosiores. Ideo a barbaris eligebantur. Hic est hujusce loci sensus , quem mirum in modum vexabant interpretes , rati *serratos dici*

nummos, quibus ferræ forma erat impressa, quales numquam extitere in Romanâ pecunia; aut ferrâ, coronâve, cinctos, ne arroderentur diminuerentur, quod Gallicè dicimus *le cordon*, cuius usum non novere Romani. Serratorum, bigatorum, quadrigatorumque nummorum magna copia fuit in Museo Collegii Ludovici Magni.

Quam aurum sequuntur. Sic quoque Romani, &, ut puto, primùm eâdem, quâ barbari, ratione: deinde usu & consuetudine. Plinius XXXIII, 3, sect. 15. *Equidem miror populum Romanum viëtis gentibus in tributo semper argentum imperitasse, non aurum: sicut Carthagini cum Hannibale viëtæ argenti pondo annua in quinquaginta annos, nihil auri.*

CAP. VI. Supereft. Abundabat quidem ferrum in terræ visceribus; at, ut inde extraheretur, & igne molliretur, barbaris neque patientia, neque industria, neque necessitas. Potior eorum virtus, semperque obvia. Præterea utebantur lapideis armis, quorum copia maxima in Germanorum sepulcris reperitur, ut videre est apud eruditum Eccardum, *de Rebus Franciæ Orientalis*, Tom. I, pag. 892, ubi eorum imagines exhibet.

Majoribus lanceis. Ob ferri penuriam, ac fortè etiam ob difficilem usum, raro utebantur majoribus lanceis. Inde in Annalium Historiarumque libris, ubi tot prælia Germanorum vidimus, numquam majores lanceæ, sed prælongæ hastæ, quibus sanè infixa erat framea, memorantur.

Frameas gerunt. Frameas dictas fuisse a cuspidiæ, quæ *pfiem*, vel *priem* appellatur, observat Dithmarus. Germanica autem regis Childerici framea in ejus tumulo reperta est. Imaginem vide apud eruditum Chifletium, *Anastasis Childerici, Francorum regis*, pag. 218. Postea cum ferrum

abundaret, Germani gladiis præcipuè usi sunt : at variandis equorum gyris fuere semper inhabiles. Quibus de rebus si plura volueris, vide priorem Taciti. editionem, Tom. IV, pag. 177.

Pugnent. Quibus tamen, quod enormes essent, impiedebantur, si inter silvas virgultave esset pugnandum, ut vidimus suprà Annal. II, 14. Alioquin hastæ illæ ingentes ad vulnera facienda, quamvis procul, aptissimæ. Vide Annal. I, 64.

Missilia. Licet valde mutata sit pugnandi ratio, manent tamen nobis veterum Germanorum arma. Ut iis, ita nobis sunt duo gladiorum genera : alii acuti, *l'épée*; alii sine acumine, *le sabre*: maiores lanceæ, *la halebarde*: hastæ, seu frameæ, *la longue pique*: missilia, *la hache d'armes*. Sic & Canadensisibus populis suum est missile, *le cassette*. Præterea reperiuntur in veterum Germanorum sepulcris globuli lapidei perforati, quos sanè, alligatis funibus, ejaculabantur. Eorum imagines vide apud eruditum Eccardum, *de Rebus Franciæ Orientalis*. Tom. I, pag. 892.

Sagulo. De sago infrà cap. 17. Cùm pugnabant, majore sù parte nudi erant, teste Cæsare apud Dion. XXXVIII, pag. 89. Γυμνοὶ τὸ πλεῖστον εἰσὶ.

Scuta tantum. Scuta Germanorum immensa, id est magnitudine corporis, suprà Annal. II, 14, lectissimis coloribus fucata. Hæc prima virtutis, deinde nobilitatis, insignia; inde, labentibus sæculis, Heradicæ artis, quam dicimus *les Armoires*, *le Blason*, origo. Privatorum scuta coloribus tantùm distincta, principes ad decus, & ad tutamentum, (nam difficultius penetrabantur) animalium effigies scutis addebanit.

Paucis loricæ. Vide suprà Annal. II, 14. Cimbrorum habitum paulo aliter describit Plutarchus in Mario, pag. 420. Galeas, inquit, gerebant, quæ erant in belluarum rictus aliasque inusitatas

figuras formatæ, & alatis cristi, ut altiores vi-
derentur, fastigiatæ. Loricis ferreis erant ornati;
candidis micabant scutis. Singulis erat telum
bipenne; &, pede collato, ingentibus gravibusque
utebantur gladiis. At hæc arma in itinere fuere
comparata, ut observat eruditus Eccardus, de
Origine Germanorum, pag. 78. Inde Holsatici
tumuli ejus temporis, parum æris, ferrum nullum
habent. In iis reperiuntur acumina hastarum lapi-
dea, & gladiorum loco cunei, quos vulgus lapides
ceraunios appellat.

Cassis aut Galea. Isidorus XVIII, 14. *Cassis*
de laminâ est: *galea de corio.* Igitur ferrea fuit
cassis, coriacea galea.

In morem nostrum. Optimumque Romanorum
morem, quem versibus, cedro dignis, expressit
Virgilii, Georgic. III, 182.

Primus equi labor est, animos atque arma videre
Bellantum, lituosque pati; tracluque gementem
Ferre rotam, & stabulo frænos audire sonantes:
Tum magis arque magis blandis gaudere magistri
Laudibus, & plausæ sonitum cervicis amare:
Atque hæc jam primo depulsus ab ubere matris
Audeat, inque vicem det mollibus ora capistris
Invalidus, & jamque tremens, & jam inscius ævi.
At, tribus exactis, ubi quarta accesserit æstas,
Carpere mox gyrum incipiat, gradibusque sonare
Compositis, sinuetque alterna volumina crurum,
Sitque laboranti similis: tum cursibus auras
Tum vocet, ac per aperta volans, ceu liber habenis;
Æquora, vix summâ vestigia ponat arenâ.

Quomodo autem milites Romani equos insilire;
desilire docerentur tradit Vegetius I, 18; sed pro
more suo jejune.

Mixti præliantur. Quem præliandi morem

egregiè describit Julius Cæsar Bell. Gall. I , 48. *Genus hoc erat pugnæ , quo se Germani exercuerant. Equitum millia erant sex : totidem numero pedites velocissimi ac fortissimi , quos ex omni copiâ singuli singulos , suæ salutis causâ , delegerant. Cùm his in præliis versabantur , ad hos se equites recipiebant ; hi , si quid erat durius , concurrebant. Si qui , graviore vulnere accepto , equo deciderant , circumfistebant ; si quò erat longius progreendiendum , aut celerius recipiendum , tanta erat horum exercitatione celeritas , ut jubis equorum sublevati , cursum æquarent.*

Centeni ex singulis pagis. Ut hæc intelligantur , observandum Germanos divisos fuisse in populos , populos in pagos , pagos in vicos. Germani appellavere pagos suos Gowen. Sic adhuc Helvetii in pagos , Gallicè en Cantons , dividuntur. Vici autem dicebantur Hunderte. Inde originem sumpsere Anglorum Hundredæ. Centeni ex singulis pagis legebantur : & quod primò numerus fuit , jam nomen & honor est. Nempe , auctore erudito Dithmaro , vocabantur die hunderte , seu centeni : nobis , les Centeniers. Plures a magnis populis fuisse lectos videtur ex Julio Cæsare , Bell. Gall. IV , 1. Suevorum gens est longè maxima , & belllicosissima Germanorum omnium. Ii centum pagos habere dicuntur ; ex quibus quotannis singula millia armatorum , bellandi causâ , suis ex finibus educunt. Reliqui domi remanent. Sic neque agricultura , neque ratio , neque usus belli intermittitur. Armati legebantur heribanno , seu exercitus edicto. Inde apud nos adhuc manet vox Arriereban.

Per cuneos. Vegetius III , 19. Cuneus dicitur multitudo peditum , quæ juncta cum acie primò angustior , deinde latior procedit , & adversariorum orænes rumpit : quia a pluribus in unum locum tela mittuntur. Quam rem milites nominant caput

porcinum. Acies , sic composita , trianguli pyramidisve speciem referebat , cujus pars angustior hostem versus dirigebatur. Cùm plures gentes in eodem exercitu essent , singulæ propriis cuneis componebantur , ut vidimus suprà Hist. IV , 16. De cuneo , quem Gallicè dicimus *le coin* , vel *l'ordre rostral* , vide Cl. de Sigrais , *Mémoires de l'Académie Royale des Inscriptions* , Tom. XXV , pag. 440 & seqq.

Cedere loco. Exemplum vide suprà Annal. II , 11.

Referunt. Sanè ut eos patriis sepulcris conderent.

Præcipuum flagitium. Id quoque immerito objicere summa erat injuria. Inde in lege Salicâ Tit. XXXIII , 5. *Si quis homo ingenuus alio im properaverit , quod scutum suum jaclasset , & fugâ lapsus fuisset , & non potuerit adprobare.* MALB. AVSTRAPO , DC den. qui faciunt sol. XV , Gallicæ monetæ libras 196 , culpabilis judicetur. Cùm ad explicandum illustrandumque hunc Taciti librum sæpe laudanda sit lex Salica , satis sit hic præmonuisse apud Romanos semper citari legem materiamque legis ; sic legem ambitûs , majestatis , peculatiûs , repetundarum dici : haud aliter apud Germanos citari judicium & materiam judicii. Itaque MALB. seu malbergium , idem est ac judicium. *Austrappen* significat fugere. MALB. AVSTRAFO est *judicium de fugitivis*. Vide eruditum Eccardum in Notis ad Legem Salicam.

CAP. VII. Duces ex virtute. Reges , regno ; duces bello , præerant. Ex his Germanorum duibus originem apud Gallos habuisse Majores domûs , les Maires du Palais , meritò sensit Cl. de Vertot , *Mémoires de l'Académie des Inscriptions* , Tom. 2 , pag. 627. Vide & Cl. de Montesquieu , *Esprit des Loix* , XXXI , 4. Si reges virtute æquè ,

ac nobilitate præstabant, imperatoriam illam dignitatem obtinebant. Plures autem reges ducesve vulgo in bella conveniebant: tum præstantior imperabat, & communem in bello obtinebat magistratum, qui nullus erat in pace. Inde Julius Cæsar Bell. Gal. VI, 22. *In pace nullus est communis magistratus.* Impositus autem scuto, & sustinens humeris vibratus, dux eligebatur; ut dictum est suprà Hist. IV, 15. Apud bellicosam gentem idem regibus factitatum, ut videre est apud Gregorium Turonensem II, 40. *Plaudentes tam parmis, quam vocibus, eum, Clodovechum, clypeo evectum super se regem constituunt.* Apertiūs autem Vitiges, Gothorum rex, apud Cassiodorum, Variarum, libr. X, Ep. 31. *Indicamus parentes nostros Gothos inter procinctuales gladios, more majorum, scuto supposito, regalem nobis contulisse, præstante Deo, dignitatem.* Ut honorem arma darent, cui bella opinionem pepererant. Non enim in cubilibus angustis, sed in campis latè patentibus electum me esse noveritis: nec inter blandientium delicata colloquia, sed, tubis concrepantibus, sum quæsus; ut tali fremitu concitatus desiderio virtutis ingenitæ regem sibi martium Geticus (seu Gothicus) populus inveniret.

Infinita, aut libera. Inde Ambiorix, Eburonum, gentis Germanicæ, rex, profitebatur sua esse ejusmodi imperia, ut non minus haberet in se juris multitudo, quam ipse in multitudinem, Jul. Cæsar, Bell. Gall. V, 27. Si Germanorum Canadensiumque principum potestatem conferas, eamdem omnino repieres. Vide P. de Charlevoix, loc. cit. Lettre XVIII, pag. 268.

Nisi sacerdotibus permissum. Ita ut tamen vita necisque potestas maneret penes magistratum, de quo Jul. Cæsar, Bell. Gall. VI, 23. *Cùm bellum civitas aut illatum defendit, aut infert, magis-*

tratus qui ei bello præfint, ut vitæ necisque habeant potestatem, diliguntur. Pœna sacerdotibus commissa, ut imperantibus minus foret invidiæ, pu-nientibus plus reverentiæ.

Effigies & signa quædam. Effigies ferarum, ut vidimus suprà Hist. IV, 22, quas insigne reli-gionis & tutelam habebant, ut dicetur infrà cap. 45. Signa quoque, hostibus capta, quæ, in lucis, diis patriis suspendebantur. Vide Annal. I, 59. Ut Germani, sic & Canadenses populi deos suos, quos vocant *Manitous* in bellum præ-liumque ferunt. Vide P. de Charlevoix, *Journal Historique d'un voyage de l'Amérique*, Lettres XIV & XV, pag. 223 & 236.

In proximo pignora. Talem exercitūs ordinem vidimus suprà Hist. IV, 18. Ita & apud Britannos in Annal. XIV, 54. Vide quoque Julium Cæsa-rem, *Bell. Gall.* I, 51.

Exigere plagas. Et expositulare, si ignavi illæ-sique redissent, aut indecora vulnera accepissent.

CAP.VIII. *Objectu pectorum.* Non modò feminæ objiciebant pectora, ne mariti filiive fugerent, sed & ipsæ, desperatis rebus, pugnabant. Hanc fe-minarum ferociam expertus est Marius, ut nota-bitur infrà cap. 37, & cùm M. Aurelius Marco-mannos, Quados, ceterosque socios Germanos vicisset, *inter cadavera barbarorum, corpora mu-lierum armata reperta sunt.* Εν μέντοι τοῖς νεκροῖς τῶν βαρβάρων, καὶ γυναικῶν σώματα ἀπλισμένα εὑρέθη. Dio LXXI, pag. 802.

Captivitate. Sic in acie Ariovisti feminæ, passis crinibus, & flentes, orabant suos milites, ne se in servitutem Romanis traderent. Cæsar. *Bell. Gall.* I, 51.

Feminarum suarum nomine. Quàm suâ ipsorum causâ, ut mox dicetur,

Imperantur. Huc fortè spectant, quæ habet Suetonius in Aug. cap. 21. *A quibusdam novum genus obsidum feminas exigere tentavit: quòd negligere marium pignora sentiebat.*

Nec aut consilia earum. Eadem de Celtarum feminis vide apud Plutarchum, *de Virtutibus mulierum.* Tom. II, pag. 246. Par quoque Canadensis feminarum auctoritas. Vide P. de Charlevoix, loc. cit. *Lettre XIII,* pag. 208; & *Lettre XVIII,* pag. 269.

Responsa negligunt. Suffragatur Julius Cæsar, Bell. Gall. I, 50. Cùm ex captivis quæreret Cæsar, quam ob rem Ariovistus prælio non decertaret? hanc reperiebat causam, quòd apud Germanos ea consuetudo esset, ut matres familias eorum sortibus & vaticinationibus declararent, utrum prælio committi ex usu esset, nec ne: eas ita dicere, non esse fas Germanos superare, si ante novam lunam contendissent. Quâ autem crudelitate apud Cimbros vaticinarentur illæ feminae, docet Strabo VII, pag. 294.

Veledam. De quâ vide suprà Hist. IV, 61 & 65.

Numinis loco habitam. Sed postea captivam. Adeò incerta vel fatidicarum fors! De cå Statius, Silv. I, 4, vers. 90.

*Non vacat Arctoas acies, Rhenumque rebellem,
Captivæque preces Valedæ, & (quæ maxima nuper
Gloria) depositam Dacis pereuntibus urbem
Pandere.*

Cùm Rutilius Gallicus Veledam cepisset, fortè Romam ducta est; indeque Tacitus dixit: *Vidimus sub divo Vespasiano Veledam.*

Compluris. Antiquè pro complures.

Deas. Nempe cùm viveret Aurinia, nondum invaluerat superstítio, quæ eas fecit deas. Inde Tacitus Hist. IV, 61. *Vetere apud Germanos*

more, quo plerasque feminarum fatidicas, & augescente superstitione, arbitrentur deas. Plura vide apud eruditum Keylerum, *Antiquitates Septentrionales*, in Dissertat. de Mulieribus Fatidicis pag. 456 & seqq. Effigiem feminæ fatidicæ apud Gothos exhibet Columna Theodosiana, quam vide in Cl. Banduri *Imperio Orientali*. Postea verò tam immodicè feminas illas fecere deas, ut inter monumenta Germanica passim occurrant aræ Inscriptionesque positæ MATRIBVS vel MATRONIS SVEBIS, seu Suevis, TREVERIS, AVFANIS &c. Unicum tantum exemplum proferam e Grutero, pag. xc, n. 10.

IN H. D. D
DIS. DEAB. Q. OMNIB.
MATRIBVS. VAP
THIABVS. ET GENIO.
LOCI. SACRVM. C
TAVRICIVS. B-F. COS. PRO SE
ET. SVIS. V. S. L. M.
POSVIT. ET. DEDI

Id est: *In honorem divinæ domus, diis, deabusque omnibus, matribus Vapthiabus & Genio loci sacrum Caius Tauricius, beneficiarius consulis, pro se & suis votum solvens lubens meritò posuit & dedit, &c.*

CAP. IX. Deorum. A Tacito dissentire videtur Julius Cæsar, Bell. Gall. VII, 21. Deorum numero eos solos ducunt, quos cernunt, & quorum opibus aperte juvantur, Solem & Vulcanum & Lunam; reliquos ne famâ quidem acceperunt.

Distingue tempora, & summa erit Cæsarem inter ac Tacitum consensio. Cæsar is ætate suos, & barbaris fere omnibus familiares, deos habuere Germani Solem, Lunam & Vulcanum, id est ignem, quem sive e silice elicerent, sive velocissimo duorum lignorum affrictu, ut Canadensisibus barbaris adhuc mos est, excitarent, sive calidas aquas, quæ in regione occurrunt, spectarent, sive inter tonitrua stridentem audirent, admirari pariter ac venerari cœpere. Postea Gallorum & Romanorum contactu, Mercurium, Herculem, Martem accepere. Eorum cultus ætate Taciti vigebat. Cum per Germaniam iter facerem plurima Neptuni monumenta reperi: alia aliorum deorum occurrunt. Scilicet, labentibus annis, Neptunus, ceteraque deorum caterva, in Germaniam venere.

Mercurium. Eadem sane fuit apud Germanos, quæ apud Gallos, Mercurii cultûs causa. De Gallis Julius Cæsar. Bell. Gall. VI, 17. *Deum maximè Mercurium colunt; hujus sunt plurimæ simularia: hunc omnium inventorem artium ferunt; hunc viarum atque itinerum ducem; hunc ad quæstus pecuniae mercaturasque habere vim maximam arbitrantur.* Inde cum olim in civitate Aquensi, nunc Baden, celebrarentur commercia, atque hac iter esset in Helvetios, præcipua ibi fuit Mercurii veneratio in monte lucoque prope Baden. Quem locum cum adisset, ut ibi Mercurii monumentum inspicerem, reperi veterem lapidem, quem votivum fuisse puto, cui rudis imago Mercurii insculpta; undequaque longeque disjecti ingentes lapides jacebant: aras fuisse, & antiquissimæ religionis, cum humanæ hostiæ litarentur, monumenta, arbitror. Hæc cum cernerem, animalium subibat Lucanus III, 392.

Lucus erat, longo numquam violatus ab ævo.

· · · · · · · · · · · · · · · · · · ·

Hic barbara ritu

Sacra deūm, structæ diris feralibus aræ,

Omnisque humanis lustrata cruoribus arbos.

Humanis quoque hostiis. Inde Lucanus I, 444.

*Et quibus immitis placatur sanguine diro
Teutates, horrensque feris altaribus Hesus*

Teutates est Mercurius; Hesus, Mars.

*Concessis animalibus. Herculi quoque & Marti
humanis hostiis litatum fuisse crediderim. De
Marte constat, saltem flagrantibus bellis. Sic enim
Aīnal. XIII, 57. *Victores diversam aciem Marti
a Mercurio sacravere, quo voto equi, viri, cuncta
victa occidioni dantur.* Procopius quoque, Bell.
Goth. libr. II, homines Marti mactatos memorat.
At ut Germani Scythicā sunt origine, ita quoque
multum Scythicæ religionis retinuere. Hæc igitur;
si lubet, confer cum iis quæ de Scythis habet
Herodotus IV, 59 & seqq. pag. 240 & 241.*

*Iṣidi sacrificat. Asiam Europamque pervagata
est religio Ægyptiaca. Repertæ in Germaniâ
Inscriptiones non modo ISIDI, sed & I. O. M.
SARAPIDI. Multa alia Ægyptiacorum sacrorum
apud Germanos monumenta exhibet eruditus
Schoepflinus, *Alsacia Illustrata*, Tom. I, p. 499.
Cultum autem Isidis in liburnam figuratæ illustrat
Cl. Muratori, *Thesaur. Inscript.* Tom. I, p. xxv.
Ibi videre est deam CLATRAM, quæ eadē est ac
dea Isis. Dextrâ sistrum & serpentem tenet; sinistrâ,
mensuram Nili crescentis: supra caput calathum
gerit: retro est liburna. Cùm Germani deos in
humani oris speciem non adsimularent, Isidem,*

figuratam in liburnam, venerati sunt Suevi. Ipsos autem, qui Albim, Danubiumque accolarent, a mercatoribus Romanisve eductos, Isidem, navigantium deam, coluisse minime mirum est. Sacrum illud pervulgatum, ac maximè agebatur mense Martio, cùm renovaretur navigatio. Inde in Kalendario vetere. III Nonas Martii. ISIDIS NAVIGIUM. Vegetius V, 9, memorat hunc *natalem*, ut ita dicam, *navigationis*, qui *solemnis certamine*, publicoque *spectaculo multarum gentium* celebratur. Qui plura volet de cultu Isidis apud Suevos, adeat Cl. de Fontenu, qui duas hoc de argomento dissertationes edidit, *Mémoires de l'Académie Royale des Inscriptions*, Tom. V, pag. 63 & seqq.

Adiectam religionem. Ut Romani in veteribus suis numinis æreis, qui existant plurimi, Saturni adventum puppi testati sunt, sic aliæ gentes ad se adiectas religiones liburnâ in nummis suis expressâ sæpe declaravere.

Arbitrantur. Postea non arbitrati sunt; templaque & statuas deis suis posuere. In nummo Postumi, quem publicavit eruditus Sirmondus in notis ad Apollinarem Sidonium VIII, 11, videre est templum, in cuius vestibulo stat Hercules, cum epigraphe HERC. DEVSONIENSI. Id est *Herculi Deusonienſi*, qui Deusone, trans Rhenum, colebatur. Immo *templum Tanfanæ* memoratur suprà Annal. I, 51. Vide infrà cap. 44, templum Suionum.

Lucos ac nemora. Silvam Herculi sacram vidi-
mus suprà Annal. II, 12; lucum Baduhennæ,
Annal. IV, 73; nemus sacrum, Hist. IV, 14.
Silvas, religione vacuas, voluptatique redditas
gratulatur Claudianus, de laudibus Stiliconis I,
218.

*Ut procul Hercyniae per vasta silentia silvæ
Venari tutò liceat, lucosque vetustâ
Relligione truces, & robora numinis instar
Barbarici, nostræ feriant impune secures.*

*Secretum illud. De quo Seneca Ep. 41. Si tibi
occurrit vetustis arboribus, & solitam altitudinem
egressis, frequens lucus, & conspectum cœli
densitate ramorum aliorum alios protegentium
submovens; illa proceritas silvæ, & secretum
loci, & admiratio umbræ, in aperto tam densæ
atque continuæ, fidem tibi numinis facit. Breviter
Plinius XII, 1. Lucos atque in iis silentia ipsa
adoramus.*

CAP. X. Observant. Id barbaris omnibus familiare; quibus, quò minor prudentia, eò major superstítio.

*Virgam. Præfagas quoque virgas apud Scythas
memorat Herodotus IV, 67, pag. 242, apud
Alanos Ammianus Marcellinus XXXI, 2. Ger-
manorum divinationem illustrat Rugianorum usus,
de quo Saxo Grammaticus, Historiæ Danicæ
libr. XIV, pag. 288, Rugiani, Balthici maris
accolæ, tribus ligni particulis, parte alterâ albis,
alterâ nigris, in gremium sortium loco conjeclis,
candidis prospera, furvis adversa signabant.
Sortem illam & surculos, quos tenos vocabant,
memorat lex Frisionum, Tit. XIV, leg. 1. Alia
adhuc & antiquissima hujus divinationis vestigia
vide apud Ezechielem XXI, 21 & Osee. IV, 13.*

Consuletur. Melius, si publicè consultatur, ut volebat Muretus.

Paterfamiliae. Etiam matresfamilias consulta-
uisse patet ex loco Cæsaris Bell. Gall. I, 50,
quem attuli suprà cap. 8.

Avium. Inde in Concilio Leptinensi , nunc Lestines , anno J. C. 743 , celebrato , in indiculo superstitionum , quæ prohibentur , agitur de auguriis vel avium , vel equorum , vel boum stercoreibus , vel sternutatione . Hartzeim , Concilia Germaniæ , Tom. I , pag. 51.

Proprium gentis. Proprium quoque Persarum , qui , teste Herodoto III , num. 85 & 86 , Darium , hinnitu equi regem declaratum salutarunt . Memorat quoque libr. I , num. 189 , in exercitu Cyri equos sacros & candidos . Fugatum Xerxem anteibant equi sacri & sacer currus , *ἵπποι οἱ ιψοί ,* *ἥρη τὸ ἄρμα τὸ ιψὸν* , Herodot. VII , num. 55 . Causam religionis docet Justinus I , 10 . Nam & solem Persæ unum deum esse credunt , & equos eidem sacratos ferunt . Rugianorum quoque sacerdos auspicia ex equo candido sumebat , ut videre est apud Saxonem Grammaticum , loc. cit.

Iisdem nemoribus. Sacris nemoribus ac lucis.

Committunt. Inde singularia certamina , les duels , ferociæ ac superstitionis monumenta , diutamen tamquam Dei judicium habita . Quâ de re multa habet Cl. de Montesquieu , *Esprit des Loix* , XXVIII , 17 .

CAP. XI. Pertractentur. Insignem hunc locum & in arte politicâ summum tractat Cl. de Montesquieu , *Esprit des Loix* , VI , 11 . Tale libertatis & auctoritatis temperamentum Germanicis in silvis fuisse repertum miratur ; & Anglos inde hausisse politicam impérii sui formam docet . Illam a Tacito expressam laudatamque jam vidimus suprà Annal. IV , 33 .

Inchoatur Luna. De novâ lunâ vide Julium Cæsarem Bell. Gall. I , 50 , laudatum suprà cap. 8 .

Credunt. Adeò antiqua & apud omnes populos per vulgata lunaris potestatis fama , quæ ne in hac

quidem literarum luce penitus ex hominum animis exolevit! Quām insanæ vires lunæ tribuerentur, vide apud Plinium II, 99.

Noctium computant. Hoc primævæ antiquitatis monumentum. Nec a diebus, sed a noctibus cœpta tempora, Genes. I, 5. Galli, ut ceteri barbari, id oblii, *se omnes a Dite patre prognatos prædicant, idque a Druidibus proditum dicunt.* Ob eam causam spacia omnis temporis non numero dierum, sed noctium finiunt, & dies natales, & mensium & annorum initia sic observant, ut noctem dies subsequatur. Jul. Cæsar, Bell. Gall. VI, 18. Antiquitatis memoria exstat in veteri sermone Gallico *anuiet*, pro hac nocte, seu hodie, ut Sirmondo, Pithœo, aliisque probatum. Inde & vetus formula, *comparoir dedans les nuiëts.*

Sic condicunt. Cùm tempus, quo quid faciendum constituunt; quo in jus veniendum condicunt; non tot dies, sed tot noctes constituunt condicuntve. Sic in Lege Salicâ Tit. XLVIII *inter decem noctes.* Tit. L. *in noctes XL.* & alibi passim *noctes pro dies usurpantur,*

Ut turbæ placuit. Melius, *ut turba placuit.* Id est, satis numerosa visa est. Sic quoque volebat Gronovius.

Confidunt armati. Medioque in campo. Horum adhuc conciliorum manent vestigia immensis lapidibus conspicua. Vide Cl. Mallet, *Introduction à l'Histoire de Dannemarck.* pag. 102 & seqq. Huc quoque referendum videtur Britannicum *Stone-Henge*, quod adhuc exstat prope oppidum *Ambersbury*, in *Wiltshire*: de quo vide *Camden's Britannia*, by *Gibson*, pag. 95. In iis verò conciliis videmus originem nostrorum conciliorum, quæ sub Merovingiis nostris regibus dicta sunt *les champs de Mars*; sub Carlovingiis, *les champs*

de Mai; deinde *les Cours plénieres de Noël & de Pâque*; ac demum *les Etats généraux*.

Facundia est. Magna est apud barbaros eloquentiæ vis. Inde de Canadensibus populis P. Creuxius, *Historia Canadensis*, pag. 69. Quibus est dicendi vis a naturâ concessa, dominantur nimirum, præsuntque ceteris, pluribus, paucioribusve, ut cujusque major minorve est eloquentia.

Frameas concutunt. Hoc armorum sono Civilis orationem approbatam vidimus suprà Hist. IV, 15.

CAP. XII. Proditores. Sic Tassilo, dux Bajoariæ, la Baviere, proditionis reus, a Francis, Bajoariis, Langobardis, Saxonibus, & reliquis in concilio præsentibus, capite damnatus est. Sed Caroli Magni clementiâ, accisis crinibus & veste monasticâ indutus, in monasterium trusus est. Vide eruditum Eccardum, *De Rebus Franciæ Orientalis*, Tom. I, pag. 725.

Arboribus suspendunt. Ut ibi vitam finirent. Unde si deponerentur, gravis erat poena. Sic enim lex Salica, Tit. LXIX, Leg. 1. Si quis hominem vivum de furcâ tollere præsumperit, & fugâ lapsus fuerit, ille qui eum tulerit, aut vitam pro ipso amittat, aut viii m den. qui faciunt solidos cc, Gallicæ monetæ libras 2,620, culpabilis judicetur. Ne mortuum quidem depônere licebat. Ibid. Leg. 4. Si quis sine consensu judicis, de ramo, ubi incrocatur, deponere præsumperit, m cc denar. qui faciunt solidos xxx, Gallicæ monetæ libras 393, culpabilis judicetur. Ita autem suspensos diu vixisse patet ex Ricalfo clero, de quo Gregorius Turonensis V, 50.

Ignavos & imbelles. Vidimus suprà cap. 6, infrà quoque videbimus cap. 14 & 31, ignavos & imbelles vixisse, sed squalidos & probrosos, ut tales homines deceat. Qui sunt ergo ignavi

illi & imbelles , quorum flagitium capitale est ? Existimaverim eos esse , qui , dato militiae nomine , ad bellum non proficiserentur. Vide Julium Cæsarem , Bell. Gall. VI , 22. Postea edixit Imperator Hlotharius in lege Longobardorum , libr. III , Tit. XIII , Leg. 1. *Quicumque liber homo a Comite suo fuerit admonitus , aut ministris ejus , ad patriam defendendam , & ire neglexerit , & exercitus supervenerit ad istius regni vastationem ; vel ad contrarietatem fidelium nostrorum , capitali subjaceat sententiæ.* Illud crimen adhuc summum est apud Canadenses barbaros. Vide P. de Charlevoix , *Journal Historique d'un voyage dans l'Amérique* , Lettre XIV , pag. 217. Porro cum proditorum , transfugarum , ignavorum & imbellicum odiosissima essent scelera flagitiave , inde , si imminenter obijicerentur , atrocia erant convicia. Huc spectat Lex Salica , Tit. XXXIII , de Conviciis , Leg. 3. *Si quis alterum concacatum aut vulpeculam vocaverit , cxx den. qui faciunt sol. III , Gallicæ monetæ libras 39 , culpabilis judicetur , Leg. 4. Si quis alterum leporem clamaverit , ccxl den. qui faciunt solid. vi , Gallicæ monetæ libras 78 , culpabilis judicetur.*

Corpore infames. Flagitium illud apud Germanos adeò fuit pudendum , ut vel ejus nomen viro objecisse gravissimè plecteretur. In lege Salicâ , Tit. XXXIII , de Conviciis , Leg. 1. *Si quis alterum cinnitum vocaret , MALB. QVINTVO , DC den. qui faciunt sol. xv , Gallicæ monetæ libras 196 , culpabilis judicetur.* Erravit Cl. de Montesquieu , *Esprit des Loix* , XXX. 19 , qui hæc ad torpore infames , *les poltrons* , retulit. Sed hac de re plura dixi in priore Taciti editione , Tom. IV , pag. 180.

Flagitia abscondi. Egregiè dictum. Flagitia enim vel pœnâ discuntur. Publicâ autem famâ

drescit horror scelerum. Turpia sunt flagitia, iniqua scelera. Inde Livius XXXIX, 16. *Minus rāmen esset, si flagitiis tantū effeminati forent.* (*ipsorum magnā ex parte dedecus erat*) a facinoribus manus, mentem fraudibus abstinuissent. In lege Burgundionum Tit. XXXIV, leg. 1. Si qua mulier maritum suum, cui legitimè juncta est, dimiserit, necetur in luto.

Levioribus delictis. Ne ita levia tamen delicta credideris. Iis enim annumerantur homicidia, adulteria, furta, aliaque id genus plurima, ut constat ex Germanorum legibus ipsoque Tacito infrā cap. 21. Verū ut cognoscantur quānam essent illæ delictorum pœnæ, proponenda sunt exempla, quibus Germanorum nostræque antiquitates illustrantur.

De pœnis apud Germanos.

IN pœnis attendebant Germani ad damna; ad acerbitatem injuriarum, ad dignitatem personarum. Inde in Lege Salicâ, Tit. III, de Furtis animalium, Leg. 1. *Si quis vitulum laetentem furaverit, MALB. PEDERO, aut FREODO, cxx den. qui faciunt solid. III, Gallicæ monetæ libras 39, culpabilis judicetur, excepto capitale & delaturâ: Gallicè le capital & les frais de justice.*

Leg. 9. *Si quis taurum furaverit, qui de tribus villis communes vaccas tenuerit (tres enim villæ, aut vici communem taurum pulcherrimumque alebant) hoc est tres-bellio, MALB. CHAMITHEUTO M DCCC den. qui faciunt solid. XLV, Gallicæ monetæ libras 589, culpabilis judicetur, excepto capitale & delaturâ.*

Leg. 10. *Si quis taurum regis furaverit, MAL.*

120 IN LIBRUM DE MORIBUS
CHAMUTEVO M. M. DC. Gallicæ monetæ libras
890, excepto capitale & delaturâ.

Apud venatorem populum pecorumque altorem magna in canibus utilitas. Inde Lex Salica, Tit. VI, de Furtis canum; Leg. 1. Si quis canem segusium (un chien de chasse) magistro suo furaverit, MALB. LEODASDI, DC den. qui faciunt solid. xv, Gallicæ monetæ libras 196, culpabilis judicetur, excepto capitale & delaturâ.

Leg. 2. Si quis segusum magistrum canem (un chien dressé) furaverit, MALB. TROVVI-DOVVANNO TUENE CHUENE, M DCCC den. qui faciunt solid. XLV, Gallicæ monetæ libras 589, culpabilis judicetur, excepto capitale & delaturâ.

In summâ quoque artium ruditate magna cultellorum pretia. Ideo lex Salica, Tit. LXXIII, de Cultello sexxauro, id est cultro alterius, ut explicat eruditus Eccardus, Leg. 1. Si quis alteri cultellum furaverit, & ei fuerit adprobatum, ipsum in loco restituat, & insuper DC den. qui faciunt sol. xv, Gallicæ monetæ libras 196, culpabilis judicetur.

Apud Saxones fuit sanè equis gratia plurima, quoniam ad eos servandos a Germanicâ humilitate descivere, atrociterque statuerunt, ut videre est in Lege Saxonum, Tit. IV, de Furtis, Leg. 1. Qui caballum furaverit, capite puniatur. Id tantò magis singulare, quod in eadem lege, Tit. II, de occisionibus, si nobilis, litus, servusve occisus, pecuniâ componitur.

Illata vis majoribus pœnis subjacebat. Sic lex Salica, Tit. XII, de Furtis ingenuorum vel effracturis, Leg. 1. Si quis verò ingenuus de foris casâ quod valent duo denarii furaverit, MALB. LEUDARDI, DC den. qui faciunt solid. xv, Gallicæ monetæ libras 196, culpabilis judicetur, excepto capitale & delaturâ.

Leg. 3. Si verò ingenuus de intus casâ furaverit, aut fregerit quod ralent duo denar. *MALB. ANTIDIO, M DCCC*, qui faciunt sol. *xlv*, Gallicæ monetæ libras *589*, culpabilis judicetur, excepto capitale & delaturâ.

Leg. 5. Si verò ingenuus clavem effregerit, aut adulteraverit, & sic domum ingressus fuerit, & per furtum aliquid tulerit, *MALB. ANTIDIO, M DCCC* den. qui faciunt sol. *xlv*, Gallicæ monetæ libras *589*, culpabilis judicetur, excepto capitale & delaturâ.

Leg. 6. Si verò effregerit, & nihil tulerit, & fugiens evadit, propter effractionem tantum *MCC* denar. qui faciunt sol. *xxx*, Gallicæ monetæ libras *393*, culpabilis judicetur, excepto capitale & delaturâ.

Tentatum quoque crimen puniebatur, Lex Salica, Tit. XX, de Vulneribus, Leg. 1. Si quis alterum voluerit occidere, & colpus, Gallicè le coup, prætersallierit, *MALB. seu LANDOVEVAS, MMD* den. qui faciunt sol. *LXII*, & dimidium, Gallicæ monetæ libras *818*, culpabilis judicetur.

Ceterum ex gravitate vulnerum major minorve pœna, teste Lege Salicâ, ibid. Leg. 3. Si quis hominem plagaverit, & sanguis ad terram cadit, & ei fuerit adprobatum, *MALB. CHARFRIDO, DC* den. qui faciunt solid. *xv*, Gallicæ monetæ libras *196*, culpabilis judicetur.

Leg. 4. Si quis hominem in capite plagaverit, & exinde ossa exierint, *MALB. CHARFRIDO, MCC* den. qui faciunt solid. *xxx*, culpabilis judicetur.

Leg. 5. Si quis hominem ita plagaverit, ut cerebrum appareat, & tria ossa desuper cerebro exierint, *MALB. AVDE AFENUS, M DCCC* den. qui faciunt solid. *xlv*, Gallicæ monetæ libras *589*, culpabilis judicetur. Expressior adhuc hac in re

Lex Saxonum , Tit. I , de Vulneribus , & Tit. XXII , de Dolg. ubi singulis ferme iictibus poena pretiumque. Vide quoque Legem Ripuariorum , Tit. V , de Debilitatibus. Homicidii autem pretium habet Lex Salica , Tit. XLIV , de Homicidiis ingenuorum , Leg. 1. Si quis ingenuus Franco aut barbarum , aut hominem , qui Salicâ lege vivit , occiderit , *MALB. LEVDI VIIIIM den.* qui faciunt sol. cc , Gallicæ monetæ libras 2620 , culpabilis judicetur.

Si quis autem hoc scelus occuleret , gravior erat poena. Unde Lex Salica , ibid. Leg. 2. Si verò eum in puteum aut sub aquam miserit , *MALB. VVATH LEUDI XXIIII M denar.* qui faciunt solid. DC , Gallicæ monetæ libras 7860 , culpabilis judicetur. & Leg. 5 , ubi de homine nobili agitur. Si verò eum de hallis aut de ramâ , Gallicè de halliers & de branchage , superoperuerit , similiter *LXXII M den.* qui faciunt solid. MDCCC , Gallicæ monetæ libras 23,580 , culpabilis judicetur.

Immo in his poenis fuit populorum distinctio. Et Romana gens , tam diu domina gentium habita , deterrimæ conditionis facta est ; ut patet ex Lege Ripuariorum , Tit. VII , de Homicidio ingenuorum. Leg. 1. Si quis ingenuus hominem ingenuum Ripuarium interficerit , ducentis solidis culpabilis judicetur. & Tit. XXXVI , de Diversis interfectionibus. Leg. 1. Si quis Ripuarius advenam Francum interficerit , ducentis solidis culpabilis judicetur. Leg. 2. Si quis Ripuarius advenam Burgundionem interficerit , centum sexaginta solidis culpabilis judicetur. Leg. 3. Si quis Ripuarius advenam Romanum interficerit , centum solidis multetur. Leg. 4. Si quis Ripuarius advenam Alamannum , seu Fresionem , vel Bavarium , aut Saxonem interficerit , centum sexaginta solidis culpabilis judicetur. Pluribus abstineo,

ne infinitus sim. Si quis autem Germanorum mores penitus cognoscere voluerit, eorum leges evolvat penitusque introspiciat.

Pecorumque numero. Ex tunc solæ opes, ut dictum supra cap. 5. Postea accessit argenti aurique copia. Inde in lege Salicâ pœnæ omnes pecuniariæ sunt. Mansit tamen pecorum usus, ut patet ex lege Saxonum, Tit. XVIII. Solidus est duplex: unus habet duos tremisses, id est, bos XII mensum, vel ovis cum agno: alter solidus tres tremisses, id est, bos XVI mensum. Majori solidi aliæ compositiones, minori homicidia componuntur. Ibidem, apud Westfalios & Angrarios & Ostfalaios solidus est, secalis sceffila XXX, ordei XL, avenæ LX... quadrimis (melius quadrimus) bos, duo solidi: duo boves, quibus arari potest, quinque solidi: bos bonus tres solidi: vacca cum vitulo, solidi duo & semis. Solidus autem Saxonius duorum tremissium valebat Gallicæ monetæ libras ferme 9. Solidus trium tremissium valebat easdem libras 13. Multa quoque & hac de re curiosa habent leges Ripuariorum, Tit. XXXVI, de Diversis interfectionibus, Leg. II. Si quis we-regeldum (id est multam, seu compositionem) solvere debet, bovem cornutum videntem & sanum pro duobus solidis tribuat, vaccam cornutam videntem & sanam pro uno solidi tribuat, equum videntem & sanum pro sex solidis tribuat, equam videntem & sanam pro tribus solidis tribuat, spatam cum scogilo (id est gladium ense inveniente cum vaginâ) pro septem solidis tribuat, spatam absque scogilo pro tribus solidis tribuat, bruniam bonam (id est loricam bonam) pro duodecim solidis tribuat, helmum cum directo (id est cassem galleanum cum apice) pro sex solidis tribuat, bainbergas bonas (id est feminalia bona, Gallicæ des cuiffarts) pro sex solidis tribuat, scutum cum

lanceâ pro duobus solidis tribuat, acceptorem non domitum (id est accipitrem juvenem nec venationi exercitatum) pro tribus solidis tribuat, commorsum gruarium (id est accipitrem , qui mordet gruem , seu qui in venatione gruum est exercitatus ; inde adhuc nobis Gallicè *les grueries*) pro sex solidis tribuat, acceptorem mutatum (id est, accipitrem qui plumas mutavit, Gallicè après la mue) pro duodecim solidis tribuat. Leg. 12. Quòd si cum argento solvere contigerit , solidi duodecim denarios , sicut antiquitus est constitutum. Solidus ille Ripuariorum valebat Gallicæ monetæ libras ferme 4. Nihil hoc loco præstans , ut Germanorum mores opesque æstimentur.

Pars multæ. Multa illa passum in lege Salicâ appellatur *fredum*, id est *pax*, quòd solveretur regi vel civitati , quasi tutoribus firmatoribusque pacis ac securitatis publicæ. Hac de re egregie differuit Cl. de Montesquieu , *Esprit des Loix* , XXX , 20. At idem Cl. Scriptor , loc. cit. cap. 19, opinatur Germanos adhuc fuisse in statu naturæ tempore Taciti. Cui vix assentiar. Ubi enim reges , ubi civitates , ubi freda , seu multæ , quæ regi , vel civitati , ubi Widrigilda , id est , certæ compositiones , quæ ipsi qui vindicatur , vel propinquis ejus exsolvantur , ibi desit status naturæ , ibi vigent legum imperia.

Et Principes. Paucis explicanda civilis Germanorum *oīnōvōpīā*. Erant divisi in *populos*. Alii regnabantur , ibi reges : aliis placuit civitas , quæ prima est reipublicæ forma , ibi principes . Reges regno , principes civitati præterant. Tum in regnis , tum in civitatibus rem militarem regebant duces . *Populi* autem dividebantur in *pagos*. Sic Semnones centum pagis habitabantur, ut dicetur infrà cap. 39. Helvionum gens quingentis pagis incolebat , Plin. IV, 13. Singulis pagis unus erat princeps ,

aut potius comes , qui jura reddebat. *Pagi* , ut notatum est suprà cap. 6, pag. 191, subdividebantur in *Vicos* , seu *Hundredas* , quæ centenæ centuriæ dicebantur , quod centum villas continerent. In unoquoque vico unus erat ex plebe comes , aut potius centenus , qui & centenarius appellatus est. Coram centeno centenariove minores causæ dirimebantur. Coram comite causæ omnes tam majores , quam minores , cognoscebantur ac judicabantur. Inde in lege Alamannorum , Tit. XXXVI , leg. 1. *Conventus secundùm antiquam consuetudinem fiat in omni centenâ coram comite , aut suo Missô* , & coram centenario ipsum placitum fiat. Et in Capitularibus Caroli Magni & Ludovici Imperatoris , III , 79. Ut pullus homo in placito centenarii neque ad mortem , neque ad libertatem suam amittendam , vel ad res reddendas , vel mancipia judicetur ; sed ista in præsentia comitis , vel Missorum nostrorum , judicentur. Penes illos comites & centenarios consilium erat & auctoritas , ut patet. Centeni autem a Tacito dicti sunt *Comites* ex usu Romanorum , apud quos honorum nomina erant *Cæsar* , *Legatus Cæsaris* , & comites legati. Vide Digest. libr. I , Tit. 22 , de *Officio Adfessorum* , leg. 4. Tempora autem conventuum placitorumque Gallicè , les plaids , ita determinat lex Alamannorum , Tit. XXXVI , leg. 2. *Ipsum placitum fiat de sabbato in sabbatum , aut quali die comes , aut centenarius voluerit , a septem in septem noctes , quando pax parva est in provinciâ : quando autem melior est , post XIIII noctes fiat conventus in omni centenâ , sicut superiùs diximus.* Sub dio , loco paulo editiore , ulmo , quercu , aliâve densâ arbore obumbrante , conventus celebabantur.

CAP. XIII. *Armati agunt. Ipsique judices ar-*

mati. Inde in Lege Salicâ , Tit. XLVII , leg. 15
In ipso Mallo , id est , placito , seu conventu judiciali , scutum habere debent . Morem illum retinuere populi omnes Germanicæ originis . Apud eos decoris & urbanitatis est in publicum non prodire , nisi gladio accinctos . Contrà verò Romani tantùm in bello armati .

Juvenem ornant. Hæc Equestris nobilitatis , la Chevalerie , avorum nostrorum memoriâ celebrazissimæ initia . Filii regum a regibus exteris arma accepisse videntur . Inde cum Audoin , Gepidorum vîctor , a Langobardis incitaretur , ut cum filio suo Alboin , victoriæ participe , pranderet , id negavit : *scitis enim , inquit , non esse apud nos consuetudinem , ut regis filius cum patre prandeat , nisi prius a rege gentis exteræ arma suscipiat.* Warnefridus , de Gestis Langobardorum , I , 23 .

Toga. Ut toga , de quâ dictum Annal . XII , 41 , Romanæ juventæ primus honos , sic scutum frameaque prima Germanicæ juventutis decora . Quæ assœcuti videntur duodecimo aut quintodecimo ætatis anno . Interim nullis educationis deliciis fracti , ut videbimus infrà cap . 20 , ad bellicam virtutem adolescebant , seque civitatibus approbabant . Inde Seneca Ep . XXXVI . *Si in Germaniâ natus esset , protinus puer tenerum hostile libraret.* Idem Seneca , de Itâ , I , 11 . *Germanis quid est animosius ? quid ad incursum acrius ? quid armorum cupidius ? quibus innascuntur innutriunturque : quorum unica illis cura est , in alia negligentibus.* Quid indu- ratius ad omnem patientiam ? ut quibus magnâ ex parte non tegumenta corporum provisa sunt ; non suffugia adversus perpetuum cæli rigorem . Plura vide infrà cap . 24 .

Domus pars. A servis non discreti . Vide infrà cap . 19 .

Principis dignationem. Principis dignitatem;

Sic apud Livium, II, 16. *Appius inter Patres lectus, haud ita multò pōst in principum dignationem pervenit.* Id est, inter principes cives Romanos habitus est, ut rectè explicat Pichena.

Inter comites. Comites illos, *Compagnons*, rectè vertit Cl. de Montesquieu; & ad hujus ævi mores appositè. Germanis, *Gesell*, *compagnon d'armes*. Tanta verò apud Germanos illorum comitum fuit existimatio, ut si occiderentur läderenturve, triplo major, quam pro ceteris ingenuis hominibus solvenda esset compositione, ut videbimus infrà ad cap. 21, ubi de homicidiorum pretio dicemus.

Hæc dignitas, hæc vires. Hunc locum caputque sequens ferme integrum mirâ brevitate & elegantiâ vertit Cl. de Montesquieu, *Esprit des Loix*, XXX, 3. Illustri exemplo Gallicam linguam latinæ Cornelianæque brevitati non esse imparem.

CAP. XIV. *Profligant.* Pæne conficiunt. De verbo *profligare* dictum suprà Hist. II, 4. Diu apud nos viguit hæc comitum dignitas, hæc fama. Resurgat in ephebeo militari, *l'Ecole militaire*!

Superstitem principi suo. Indè cùm Chonodamarus, Alamannorum rex, a Romanis fuisse captus, comites ejus ducenti numero, & tres amici junctissimi, flagitium arbitrati post regem vivere, vel pro rege non mori, si ita tulerit casus, tradidere se vinciendos. Ammian. Marcellin. XVI, 13.

Exigunt enim. Inde originem juris clientelaris, *l'origine du Vasselage*, non immeritò repetit Cl. de Montesquieu, *Esprit des Loix*, XXX, 3. Tunc quidem bellator princeps, bellatrix nobilitati equum, frameam, cibos dabat. Deinde, ortā cupiditate, data pecunia, demum prædia, quæ primū beneficia tantūm fuere, postea he-

214 IN LIBRUM DE MORIBUS
reditaria : tunc dicta sunt les Fiefs. Unde leges,
quæ maximè nunc vigent, les Loix féodales.

Frameam. De quâ suprà cap. 6.

Exspectare annum. Ut colligantur fruges.

Vocare hostes. Id est provocare. Sic Virgilius,
Georg. IV, 76.

Magnisque vocant clamoribus hostem.

Nempe provocant, ut explicat Servius.

CAP. XV. *Non multum venatibus.* Lipsius ;
Ernestus , Menage , aliquique multi eruditii viri ,
deletam volunt particulam non. Certè rectè omit-
teretur. Idem tamen sensus , seu retinetur , seu
omittitur. Plus enim temporis per otium transi-
gunt , quâm venatibus. Paucis mensibus venantur :
relicuum anni somno ciboque datum. Hæc adhuc
Canadensium populorum vita. Oratoriè magis ,
quâm verè , Jul. Cæsar , Bell. Gall. VI , 21 ,
Germanorum vita omnis in venationibus & in
studiis rei militaris consistit.

Ipsi habent. Egregiè dictum. Nec in Cana-
densium silvis aliter vivitur. Id graphicè expressit
P. Creuxius , *Historia Canadensis* , pag. 65. Si
iter venationemque exceperis , humi sedent , aut
in latus alterum incumbunt : stare ipsis pro car-
nificinâ : crura illico intumescere causantur. Cau-
sam hujus inertiae jam suprà attulerat idem scriptor ,
pag. 57. *Extra venationem bellaque , quidquid*
laborum ærumnarumque vitam quotidianam exer-
citam habet , totum fere id in miseras feminas
viri rejiciunt , tamquam contra decorum sit quid-
quam a se hujuscemodi ministeriorum attingi.

Mirâ diversitate. Immo naturæ omnino consonâ.
Apud barbaros extrema sunt omnia : pax , bellum;
motus , inertia ; amor , odium. Nihil moderati.
Causa est , quòd impetu magis , quâm ratione ,
regantur.

Ulro ac viritim. Hæc tributorum primordia. At tunc collationes fiebant sponte ultroque ac sine ullâ necessitate. Fiscorum initia vidinius suprà cap. 12, cùm pars multæ regi, vel civitati, exsolveretur. Vectigalium usus, docuere Romani, qui ea a Germanis exigebant. Vide suprà Hist. IV, 65.

Vel armentorum. Sic postea, cùm vigerent tributa, jussi sunt Saxones regibus nostris Clothario I & Pipino annum tributum quingentos boves vaccasve solvere. Vide eruditum Eccardum, de *Rebus Franciæ Orientalis*, Tom. I, pag. 84 & 480.

Vel frugum. Atque etiam multò pòst tributa melle, frugibus, & alio quolibet terræ proventu soluta sunt. Vide eruditum Eccardum, ibid. p. 392.

Necessitatibus. Ad sumptus belli, aliasque necessitates, atque in primis ad publicorum conviviorum impensas. Inde præter Steora, seu tributa annua, Osterstuopha, seu Paschalia pocula, cùm publicus conventus le champ de Mars, postea le champ de Mai, esset proximus, regibus nostris persolvebantur. Eccardus, ibid. Diu viguit ille usus. Apud majores nostros, cùm eorum filii ad equestrem nobilitatem evehebantur, étoient faits Chevaliers, subditi populi munera offerebant. Novis nostris regibus munera adhuc offerimus, eaque dicimus, le joyeux avénement; quæ pro suâ humanitate & liberalitate remisit beneficentissimus rex LUDOVICUS XVI, ut jam dixi suprà Tom. V, pag. 399.

Phaleræ, torquesque. Hæc militaria dona, virtutisque bellicæ insignia; de quibus plura vide in priore Taciti editione Tom. I, pag. 353; & Tom. III, pag. 412. Erant & phaleræ, quibus ornabantur equi. Vide Sidonium Apollinarem Epist. IV, 20.

Docuimus. Pessimo quidem instituto , & quod in Romani imperii ruinam cessit. Germani enim , teste Herodiano libr. VI , pag. 139 , pecuniae sunt avidi , & semper auro pacem Romanis cauponabantur. Τέτω γὰρ (χρημάτων) μάλιστα Γερμανοὶ τείθονται , φιλάργυροι τε ὄντες καὶ τὴν εἰρήνην ἀεὶ πρὸς Ρωμαίους χρυσίς καπηλεύοντες.

CAP. XVI. Urbes habitari. Diuque mansit hic usus. Nam ne unius quidem urbis memoria apud Ammianum Marcellinum , qui bella Romanorum in Germaniā descripsit. Itaque non urbium , sed vicorum sunt nomina , quae habet Ptolemaeus II , 11. Germanis ne fuere quidem oppida , licet aliter scripserit Julius Cæsar. Vide Cluverium , *Germania Antiq.* I , 13 , pag. 104.

Spatio circumdat. Illud spatium , domui circumiectum , & sepibus cinctum , fuit celebratissima illa terra Salica , quae erat virilis , non muliebris , sexūs hereditas. Sed hac de re plura vide infrā ad cap. 20 , ubi de successionis legibus apud Germanos agetur. Vide & Cl. de Montesquieu , *Esprit des Loix* , XVIII , 22.

Adversus casus ignis. Et pace quidem , magisque adhuc bello , metuendos. Ferventes enim fusili ex argillâ glandes fundis , & ferre facta jacula in casas , quae stramentis erant rectæ , jacere noverant , ut accipimus ex Julio Cæsare , *Bell. Gall.* V , 42. Canadenses populi , Germanis incautiores , casas parum separant ; ideoque incendiis sæpe obnoxii.

Materia. Lignis informibus utebantur.

Illinunt terra. Terram illam sanè e suis montibus effodiebant. Fortè etiam e Britanniâ advectam usurpabant. Anno 1647 , in insulâ Walcheren , in Zelandiâ , reperta sunt plurima monumenta deæ Nehalenniæ posita. Inter votivas Inscriptiones

una exstat : OB MERCES RITE CONSERVATAS M.
SECUND. SILVANVS NEGOTTOR (id est negotiator) CRETARIVS BRITANNICIANVS V. S. L. M.
Id est votum solvit lubens meritò.

Subterraneos specus. Sic quoque de Sarmatis
Mela II, 1. *Ob sœva hiemis admodum assidue,*
demersis in humum sedibus, specus aut suffossa
habitant. Kircherus, ætate suâ, cùm Germania
per quadraginta fere annos bellis conflagravit,
vidit Germanos quamplurimos, qui se cum pe-
coribus, armentis, ceterisque facultatibus in
altissimorum montium antra reciperent. De his
etiamque subterraneis specubus multa & curiosa
habet Kircherus, *Mundus Subterraneus*, VIII,
3, pag. 100.

CAP. XVII. *Sagum.* Pallium quoddam quadratum
fuit sagum, dictus quoque *rheno*: haud absimilis
Hungarico Polonove pallio, *le manteau de Hou-
sard.* Jul. Cæsar, Bell. Gall. VI, 21. *Pellibus,*
aut parvis rhenonum tegumentis utuntur; magna
corporis parte nudâ. Et Isidorus XIX, 23, *Rhe-
nones*, sunt *velamina humerorum & pectoris*
usque ad umbilicum, atque intortis villis aded
hispida, ut imbræ respuant. Mela III, 3. *Virи*
sagis velantur, aut libris arborum, quamvis sœvæ
hieme. Hæc fortè pauperum tegumenta. Si de
Germanorum vestibus plura volueris, adi erudi-
tum Pelloutier, *Histoire des Celtes*, II, 6.

Spina consertum. Sic Virgilius Æneid. III, 593.

Conservatum tegmen spinis.

Cetera intecti. Viri mulieresque ita intecti.
Vide Julium Cæsarem, Bell. Gall. VI, 21.

Juxta focum atque ignem. Et sanè inter fumi
vortices. Sic vivunt Canadenses populi. Ingentes
ignes in stramineis eorum casis ardent. Superne

Tom. VI.

K

quidem imminet magnum foramen, quod noctis
adversus imbrium nivisque casus claudunt. Tanta
verò fumi nubes, ut, ni longa esset adsuetudo,
& in terrâ ubi levior est aer, recubarent, penitus
suffocarentur.

Parthi. Fluitantem hanc Sarmatarum ac Par-
thorum vestem nummi plurimi exprimunt. Sar-
matarum laxitatem imitati sunt Cisphenani Van-
giones ac Batavi. *Lucanus I, 430.*

*Et qui te laxis imitantur, Sarmata, braccis
Vangiones, Batavique truces.*

Stricta. Quam exprimit Apollinaris Sidonius,
Carm. V, vers. 244.

*Strictius assutæ vestes procera coercent
Membra virûm: patet his altato tegmine poples.*

Idem Sidonius Epist. IV, 20, comites Sigismeris
describit: *Quorum pedes, perone setosø, talos
adusque vinciebantur. Genua, crura, suræque
sine tegmine. Præter hoc vestis alta, stricta,
versicolor, vix appropinquans exertis poplitibus.
Manicæ sola brachiorum principia velantes. Vi-
ridantia saga limbis marginata puniceis, penduli
ex humero gladii, balteis super currentibus,
strinxerant clausa bullatis latera rhenonibus.*

Negligenter. Rheni ac Danubii ripæ proximi
negligenter, ac sine delectu, ferarum pelles ges-
tabant, quod commerciorum facilitate aliæ vestes,
alii cultus placerent. Ulteriores verò, Oceani ac
Baltici maris accolæ, quibus nullus per commercia
cultus, exquisitiùs pellibus utebantur.

Eligunt feras. Quibus molliora, nitidioraque
velamina.

Spargunt maculis. Varietate colorum lætantur
omnes barbari. Inde Germani pelles suas maculis
spargebant, & e diversarum belluarum pellibus

diversas lacinias adsuebant, ut major esset varietas. Nos quoque, licet elegantiū, nivea murium Ponticorum vellera, *les Hermines*, nigris agnorum maculis spargimus.

Oceanus exterior, atque ignotum mare. Oceanus Septemtrionalis ac mare pigrum, la mer glaciale, de quo dicetur infrā cap. 45. Sic adhuc Septemtrionales populi, les Groenlandois, les Eskimaux, barbaræ veterum Germanorum reliquiae, rangiferorum, spinacum, les rennes, les chiens de mer, pellibus vestiuntur.

Lineis amictibus. Idem testatur Plinius XIX, 1, Vela texunt ... & Transrhenani hostes: nec pulchriorem aliam vestem eorum feminæ novere.

Purpura. Haud sanè exquisitâ illâ purpurâ, quâ fulgebant proceres Romani; sed aliâ vulgari, de quâ Plinius XVI, 18, Item vaccinia ... Galliæ etiam purpuræ tingendæ causâ ad servitorum vestes.

Ac lacertos. Lacerti, pars brachiorum humeris proxima.

CAP. XVIII. Matrimonia. Germanorum pudicitiam, severitatemque matrimoniorum testantur veteres omnes leges. Unum tantum aut alterum exemplum e Lege Salicâ feligam. Lex Salic. Tit. XIV, *de Ingenuis hominibus, qui mulieres ingenuas rapiunt. Leg. 8. Si quis puellam sponsatam tulerit, & sibi in conjugium sociaverit, MALB. ANASTHEO, MMD. den. qui faciunt sol. LXII cum dimidio, Gallicæ monetæ libras 818, culpabilis judicetur. Leg. 9. Sponso autem ejus DC den. qui faciunt sol. xv, Gallicæ monetæ libras 196, culpabilis judicetur. Leg. 10. Si quis puellam sponsatam, druthe ducente ad maritum (id est, sponsâ maritum adeunte) & eam in viâ aliquis adsalierit, & cum ipsâ violenter*

mæchatus fuerit, *MALB. CHANGICALDO*, *VIIIM* den. qui faciunt solid. *cc*, Gallicæ monetæ libras *2,620*, culpabilis judicetur. Leg. *12.* Si quis sororem, aut fratri filiam, aut certè alterius gradus consorinam, aut fratri uxorem, aut avunculi, sceleratis nuptiis sibi junxerit, huic pœnæ subjaceat, ut a tali consortio separetur; atque etiam si filios habuerint, non habeantur legitimi heredes, sed infamiâ sunt notati. Leg. *13.* Si quis ingenuam feminam aut puellam, contubernio facto, seu in itinere, aut quolibet loco adsalierit, & vim illi inferre præsumperit, tam unus quam plurimi. qui in ipsâ violentiâ fuerint admixti, *cc* solid. Gallicæ monetæ libras *2,620*, unusquisque ipsorum culpabilis judicetur. Et si adhuc de illo contubernio remanferint, qui scelus istud non admisso noscuntur, & tamen ibidem fuerint, eorum quilibet pro ipsis *XLV* sol. Gallicæ monetæ libras *589*, culpabilis judicetur. Vide & Tit. *XXIII*, de *Manu mulierum non strigendâ*.

Magis laudaveris. Quantò pars illa morum apud Germanos fuit laudabilior, tantò apud Romanos, teste Juvenali, *Satyr. VI*, pejor, & in dies corruptior. Unde Salvianus, *de Gubernatione Dei*, libr. *VII*. *Esse inter Gothos non licet scortatorem Gothum: soli inter eos, præjudicio nationis ac nominis, permituntur impuris esse Romani...* *Impudicitiam nos diligimus, Goths execrantur: puritatem nos fugimus, illi amant: fornicatio apud illos crimen. atque discrimen est, apud nos decus...* *Omnis impuritatis scelus, omnis impudicitiae turpitude a Romanis admittitur, & a barbaris vindicatur.* Ibidem Vandolorum pudicitiam laudat.

Prope soli barbarorum. Inter Canadenses populos eadem temperantia apud Hurones reperta,

P: de Charlevoix, *Journal Historique d'un voyage dans l'Amérique*, Lettre XIX, pag. 283.

Ob nobilitatem. Sic Ariovisto duæ fuere uxores, Jul. Cæsar, Bell. Gall. I, 53. Aliis plures. Tantòque diutiùs duravit hæc licentia, quod in eâ erat & opulentiae argumentum, & nobilitatis insigne. Vide Cl. de Montesquieu, *Esprit des Loix*, XVIII, 25.

Non uxor marito. Manet adhuc apud nos prisci usus memoria in uxorum dote, *le douaire*; il-lumique illustrant veteres Formulae, quæ scriptæ sunt, cùm opes humanitasque crevissent. Sic autem Formula XIV, de Donatione in sponsâ factâ. *Lex & consuetudo exposcit*, ut quicquid inter sponsum & sponsam de futuris nuptiis fuerit diffinitum vel largitum, aut ex consensu parentum, aut ipsi si sui juris sunt, scripturarum solennitate firmetur. Idcirco ego in Dei nomine ille N. dum multorum habetur percognitum, quod ego te illa N. unâ cum consensu parentum, vel amicorum nostrorum, tuâ spontaneâ voluntate sponsavi, mihi placuit ut aliquid de rebus meis per hunc titulum libelli dotis ante dies nuptiarum tibi confirmare deberem. Quod ita & feci. Ergo dono tibi donatumque esse volo locellum, rem proprietatis meæ, nuncupantem illum N. situm in pago illo N. cum terris, ædificiis, accolabus, mancipiis, libertis, vineis, silvis, pratis, pascuis, aquis, aquarumve decursibus, mobilibus & immobilibus, cum omni suprà posito suisque adjacentiis tam de alode, quam & de comparato, seu de qualibet adtraecto, totum & ad integrum, sicut a me præsenti tempore videtur esse possatum; & in fabricaturas aurum tantum, argentum tantum, vestimenta. Hæc omnia superius jam dicta per hunc titulum libelli dotis diebus nuptiarum tibi sum impleturus, vel traditurus, ita ut, dum ad-

vixeris, secundum legis ordinem teneas atque possideas, nostrisque qui ex nobis procreati fuerint filii vel filiabus derelinquas. Si quis verò, si ego ipse, aut ulla quislibet persona fuerit, qui contra hanc donationem aliquid agere vel calumniam generare præsumperit, illud quod repetit non vindicet, & insuper contrà cui litem intulerit solidos centum componat. Et hæc donatio meis vel bonorum hominum manibus roborata cum stipulatione subnixa firma permaneat. Immo & apud Germanos emebantur uxores, ut patet ex Lege Saxonum, Tit. VI, de Conjugiis, Leg. I. Uxorem dueturus CCC solidos, Gallicæ monetæ lib. 3,930, det parentibus ejus: si autem sine voluntate parentum, puellâ tamen consentiente, ducta fuerit, bis trecentos solidos, Gallicè monetæ libras 7,860, parentibus ejus componat. Si verò nec parentes, nec puellâ consenserunt, id est, si per vim rapta est, parentibus ejus trecentos solidos, puellæ CCXL, Gallicæ monetæ libras 3,144, componat, eamque parentibus restituat. Plura vide, si volueris, in Lege Burgundionum, Tit. LXVI, & Tit. LXIX, de Wittemon, id est, de Dote. Vide quoque Legem Salicam, Tit. XLVII, & Legem Ripuariorum, Tit. XXXVII. Quâ autem pompâ uxorem peterent, intelligi potest ex epistolâ Sidonii Apollinaris, IV, 20. Sidonius Donitio suo salutem. Tu cui frequenter arma, & armatum, & armatos inspicere jucundum est, quam voluptatem putamus mente conciperes, si Sigismarem, regium juvenem, ritu atque cultu gentilicio ornatum, ut pote sponsum, seu petitorem, prætorium saceri expetere vidisses! Illum equus quidem phaleris comptus, immo equi radiantibus gemmis onusti antecedebant, vel etiam sulsequabantur: cùm tamen hoc magis ibi decorum conspiciebatur, quod præcursoribus suis, sive pedisequis, pedes

& ipse mediis incessit, flammeus coco, rutilus auro, laeteus serico. Tum cultu tanto, coma rubore cuti concolor. Regulorum quoque sociorumque comitantum forma & in pace terribilis: quorum pedes primi, perone setoso, talos adusque vinciebantur. Genua, crura, suræque sine tegmine. Præter hoc vestis alta, stricta, versicolor, vix appropinquans exertis poplitibus. Manicæ sola brachiorum principia velantes. Viridantia sagæ limbis marginata puniceis, penduli ex humero gladii balteis super currentibus strinxerant clausa bullatis latera rhenonibus. Eo quo comebantur ornatu muniebantur, lanceis uncatis, securibusque missilibus dextræ refertæ, clypeis lævam partem adumbrantibus, quorum lux in orbibus nivea, fulva in umbonibus, ita censum prodebat, ut studium. Cuncta prorsus hujusmodi, ut in actione thalamorum, non appareret minor Martis pompa, quam Veneris.

Munera. Alia sunt Canadensium munera, & viliora; sed quibus uxores quoque laborum admoneantur. P. de Charlevoix, ibid. pag. 286.

Conjugales deos. Hæc arcana sacra in Neronis nuptiis vidimus suprà Annal. XV, 37.

Liberis inviolata. Bene quidem; & sic in lege Saxonum, Tit. VII, de Dote. Ostfalai & Angrarii volunt, si femina filios genuerit, habeat dotem, quam in nuptiis accepit, quamdiu vivit, filiisque dimittat.

CAP. XIX. *Septa pudicitia.* Sic ferme Livius III, 44. Postquam omnia pudore septa animadverterat.

Spectaculorum inlecebris. Seneca, Epist. VII. Nihil verò est tam damnosum bonis moribus, quam in aliquo spectaculo desidere. Tunc enim per voluptatem facilius vitia surrepunt. Quid me existi-

Literarum secreta. Literas quidem noverant; ut patet ex Marobodui & Adgandestrii epistolis, Annal. II, 63 & 88. At amatoria & furtiva literarum secreta viri pariter ac feminæ ignorabant. Præterea rarissimus fuit literarum usus apud rudem bellicosamque gentem. Ea rusticitas diu obtinuit. Inde, ut annalibus nostris compertum, non modo plebs, sed & nobiles viri, & militari gloriâ præstantissimi, ut illustrissimus du. Guesclin, aliquique plurimi, nec scribere, ne legere quidem noverant.

Maritis permissa. Atque ita quidem lex Wisigothorum, libr. III, Tit. IV, de Adulteriis, leg. 3. Si cujuslibet uxor adulterium fecerit, & deprehensa non fuerit, ante judicem competentibus & indiciis maritus accuset. Quod si mulieris adulterium manifestè patuerit, adulter & adultera secundùm superioris legis ordinem ipsi tradantur: ut quod de eis facere voluerit, in ejus proprio consistat arbitrio. Leg. 4. Si adulterum cum adulterâ maritus vel sponsus occiderit, pro homicidâ non teneatur. Lex autem Burgundionum, Tit. LXVIII, leg. 1. Si adulterantes inventi fuerint, & vir ille occidatur & femina. Leg. 2. Nam hoc observandum est, ut aut utrumque occidat: aut si unum occiderit, pretium ipsius solvat, sub eâ traditione pretii, quæ est prioribus legibus constituta.

Accisis crinibus. Apud Germanos multum decus in crinibus. Ideo accisi crines ob scelus, pœna; sine crimine, injuria fuit. Vide Legem Salicam, Tit. XXVIII, de Homicidiis parvulorum, leg. 2 & 3, & legem Burgundionum, in additamento primo, Tit. V. De his, qui mulieribus corruptis crines in curte suâ capulaverint. Id est, amputaverint.

Verbere agit. Apud Saxones ipsæ feminæ erant violatæ pudicitiæ vindices , teste S. Bonifacio. Archiepiscopo Mogunrino , in Epistolâ ad Ethelbaldum , Anglorum regem. In antiquâ Saxonîâ , nunc la Westphalie , si virgo paternam domum cum adulterio commaculaverit , vel si mulier maritata , frælo fœdere matrimonii , adulterium perpetraverit , aliquando cogunt eam propriâ manû per laqueum suspensam vitam finire , & super bustum illius incensæ & concrematæ corruptorem ejus suspendunt : aliquando congregato exercitu femineo , flagellatam eam mulieres per pagos circumquaque ducunt ; virgis cædentes & vestimenta ei abscindentes juxta cingulum & cultellis suis totum corpus ejus secantes & pungentes , minutis vulneribus cruentatam & laceratam de villâ in villam mittunt , & occurrunt semper novæ flagellatrices , zelo pudicitiæ adductæ , usque dum eam aut mortuam , aut vix vivam derelinquant ; ut ceteræ timorem adulterandi & luxuriandi habeant. Vide Michaelem Alfordum , *Annales Ecclesiæ Anglo-Saxonicæ* , Tom. II , pag. 569 , & Eccardum , *de rebus Franciæ Orientalis* , Tom. I , pag. 472.

Publicatæ enim. Veriâs , publicatæ etiam ; ut id ad innuptas pertineat.

Sæculum vocatur. Primum vitiis pudor est & infamia ; mox gliscunt audaciâ : demum mores fiunt ; tum , profligatâ pudicitiâ , vivere , sæculum vocatur.

Eæ civitates. Tales videntur fuisse Cimbrorum civitates , ut conjicere licet ex Valerio Maximo VI , 1 , num. 3 . Extern. Teutonum conjuges Marium victorem orarunt , ut ab eo virginibus Vestalibus dono mitterentur , affirmantes æquè se , atque illas virilis concubitus expertes futuras , eâque re non impletatâ , laqueis sibi , nocte proximâ ,

226 IN LIBRUM DE MORIBUS
spiritum eripuerunt. Vide jam dicta suprà cap. 8,
not. 6.

Virgines nubunt. Contrà verò apud Romanos
in immensam licentiam trahebantur leges. Quod
de Thelesinâ adulterâ queritur Martialis VI, 7.

Julia lex populis ex quo, Faustine, renata est.
Atque intrare domos jussa pudicitia est,
Aut minus, aut certè non plus tricesima lux est,
Et nubit decimo jam Thelesina viro.
Quæ nubit toties, non nubit; adultera lege est.
Offendor mæchâ simpliciore minus.

De eodem argumento multa passim occurunt,
maximè apud Martialem & Juvenalem.

Tamquam matrimonium. Sic, vel extincto ma-
rito, superstes manebat matrimonii fides, pro
quâ apud nonnullas gentes erat moriendum.
Unde S. Bonifacius, in Epist. cit. *Winedi*,
quod *fædissimum & deterrimum genus hominum*,
tam magno zelo matrimonium mutuo amore obser-
vant, ut mulier viro proprio mortuo, vivere
recuset: *& laudabilis mulier inter illos esse ju-*
dicatur, quæ propriâ manu sibi mortem attulit,
ut in unâ stâne pariter ardeat cum viro suo. De
Herulis idem habet Procopius, Bell. Gothic.
libr. II. Canadenses populi aliter suam in matri-
monium observantiam testantur. Primo enim
nuptiarum anno castè vivunt, & si qua mulier
hoc temporis spatio gravida videtur, ab omnibus
irritetur. Vide P. de Charlevoix, loc. cit. *Lettre XIX*, pag. 286. Sic matrimonium ipsi barbari
coluere, ut omnem libidinis suspicionem amotam
vellent.

Finire. At nihil Romæ frequentius fuit, maximè
apud divites feminas, quæ partûs discrimina hor-
rebant. Unde Juvenalis, VI, 593.

Sed jacet aurato vix ulla puerpera lecto.

Tantum artes hujus, tantum medicamina possunt,

*Quæ steriles facit, atque homines in ventre necandos
Conducit.*

Contrà Germani, & liberorum saluti & multitudini, mirâ severitate consulebant; ut videre est in Lege Salicâ, Tit. XXVIII, de Homicidiis parvolorum, Leg. 1. *Si quis puerum infrà duodecim annorum, non tonsoratum occiserit, MALB.* ASCHARA LEVDARDI. XXIIII den. qui faciunt solid. DC, Gallicæ monetæ libras 7,860, culpabilis judicetur. Leg. 4. *Si quis feminam ingenuam gravidam trabattit (id est graviter percutit), & ipsa femina fuerit mortua, MALB.* ANVANO LEVDINIA XXVIIIM den. qui faciunt sol. DCG, Gallicæ monetæ libras 9,190, culpabilis judicetur. Leg. 5. *Si quis verò infantem in ventre matris suæ occiderit, MALB.* ANOVVADO, VIIIM den. qui faciunt sol. CC, Gallicæ monetæ libras 2,620. Leg. 7. *Si quis feminam ingenuam, postquam infantes habere non potest, occiderit, MALB.* LEODINIA, VIIIM denar. qui faciunt sol. CC, culpabilis judicetur. Leg. 8. *Si quis feminam ingenuam, postquam cœperit infantes habere, occiderit, MALB.* LEODINIA. XXIIII den. qui faciunt solid. DC, culpabilis judicetur. Leg. 9. *Si quis puellam ingenuam occiderit, MALB.* EX MALA LEVDI, VIIIM den. qui faciunt sol. CC, culpabilis judicetur. Tantum liberis parentibusque pretium! Ex hoc sanè liberorum studio profluxit apud Germanos jus *Hagenstolziatus*, quod adhuc viget in superiore Palatinatu & superiore circulo Rhenano, le Haut-Palatinat & le Haut-Rhin. *Hageſtoltzen* autem, Gallicè *les vieux Garçons*, dicuntur cælibes, quinquaginta annos nati. Qui si moriantur, eorum quidem bona feudalia alo-

dialiaque ad propinquos pertinent; at bona eorum industriâ parta, in pœnam cælibis vitæ ærarium publicum sibi vindicat. Vide Cl. Hubner, *Géographie universelle*, Tom. IV, pag. 471.

Quemquam ex agnatis. *Adgnati* dicuntur, qui sunt per patrem cognati ex eâdem familiâ. Digest. libr. XXVI, Tit. 4, leg. 7, & libr. XXXVIII, Tit. 10, leg. 10, num. 2. Præterea apud Romanos, *adoptio non jus sanguinis, sed jus adgnationis adfert.* Digest. libr. I, Tit. 7, de *Adoptionibus*, leg. 23. Porro cùm apud Germanos vigeret *adoptio*, flagitium sanè apud eos fuit non modò ex liberis, cognatis, sed & ex adoptatis quemquam necare.

Boni mores valent. Haud aliter de Scythis Justinus II, 2. *Justitia, gentis ingeniis culta, non legibus.* Apud Germanos plus boni mores valebant, quâm apud Romanos bonæ leges, de quibus dictum suprà III, 25 & 26. Quâm audacter autem ex leges spernerentur sæpiissimè queruntur Patres, ac maximè Minucius Felix, in Octavio, cap. 30. *Vos enim video procreatōs filios nunc feris & avibus exponere, nunc ad strangulatos misero mortis genere elidere: sunt quæ in ipsis visceribus, medicaminibus epotis, originem futuri hominis extinguant, & parricidium faciant antequam pariant.* Adeò malum illud Romæ inoleverat, ut ipse Plinius XXIX, 4, sect. 37, atocium excusat, quoniam aliquarum fecunditas plena liberis tali veniâ indiget. Melius Wisigothi, in hanc corruptelam fortè contactu Romanorum træcti, id scelus severissimis pœnis coercuere. Sic enim lex Wisigothorum, libr. VI, Tit. 3, leg. 1. *Si quis mulieri prægnanti potionem ad avorsum aut pro necando infante dederit, occidatur: & mulier, quæ potionem ad avorsum facere quæsivit, si ancilla est, cc flagella suscipiat; si*

*n*genua , careat dignitate personæ , & cui jussimus servitura tradatur. Vide & ibid. legem 7.

CAP. XX. *Nudi ac sordidi.* Ita quoque Mela ; III , 3. *Maximo frigore nudi agunt antequam puberes , & longissima apud eos pueritia.* Vide & Senecam laudatum suprà cap. 13 , not. 3. Apud Germanos autem , ut & apud Canadenses existimaverim pueros , a lacte depulsos , sibi penitus fuisse permisso , ut , quales eos natura finxerat , adoleſcerent. De Canadensibus vide P. de Charlevoix , loc. cit. *Lettre XIX* , pag. 288.

Uberibus alit. Hodieque apud Canadenses populos sua quemque mater per tres annos alit. Inde hi artus , validaque corpora. P. Charlevoix , loc. cit. *Lettre XIX* , pag. 288.

Ancillis ac nutricibus. Romana institutio virtusque periit , ubi primùm nati infantes Græculis ancillis nutricibusque delegati. Vide suprà Dialog. de Orat. XXIX.

Inter eadem pecora. Hic mos barbaris. Vide suprà Annal. IV , 49.

Donec ætas. Illa ætas primùm videtur fuisse annus duodecimus. Tunc enim puer legibus obnoxius , ut patet ex Lege Salicâ , Tit. XXVIII , de Homicidiis parvolorum , Leg. 6. Si quis puer infrà duodecim annorum aliquam culpam commiserit , fredus ei non requiratur. De fredo dictum suprà pag. 210. Deinde illa ætas fuit annus quintusdecimus. Sic enim in Lege Ripuariorum , Tit. LXXXI. *Ut parvulus non respondeat ante quindecim annos , Leg. unic.* Si quis homo Riparius defunctus fuerit , vel interfectus , & filium reliquerit , usque ad quintumdecimum annum plenam nec causam prosequatur ; nec in judicio interpellatus responsum reddat. Quindecimo autem anno aut ipse respondeat aut defensorem eligat.

Similiter & filia. Nec aliter lex Burgundionum, Tit. LXXXVII, de Minorum contractibus, Leg. I. Minorum ætati ita credidimus consulendum, ut ante XV. ætatis annos eis nec libertare, (id est, libertate donare, nec vendere, nec donare liceat. Hæc ergo fuit majorum ætas, Gallicè la majorité. Postea senior fuit, cùm graviora fuere arma. Vide Cl. de Montesquieu, *Esprit des Loix*, XVIII, 26.

Virtus agnoscatur. Egregiè dictum. Nec aliter majorum annos militari virtute definivit Theodoricus, rex, apud Cassiodorum, Variarum, Ep. I, 38. *Juvenes nostri*, qui ad exercitum probantur idonei, indignum est ut ad vitam suam disponendam dicantur infirmi: & putentur domum suam non regere, qui creduntur bella posse tractare. Gothis ætatem legitimam virtus facit. Et qui valet hostem confodere, ab omni se jam debet vitio vindicare.

Sera juvenum venus. Hæc illustrat Jul. Cæsar Bell. Gall. VI, 21. Qui diutissimè impuberes permanerant, maximam inter suos ferunt laudem; hoc ali staturam, ali vires, nervosque confirmari putant. *Intra annum verò vigesimum feminæ noctitiam habuisse in turpissimis rebus.*

Pares validæque. Pares ætate, conditione, viribusque miscentur. Ubi enim inæqualis erat conditio multabantur. Lex Alamannorum, Tit. LVII, Leg. unic. Si autem duæ sorores absque fratre relictæ post mortem patris fuerint, & ad ipsas hereditas paterna pertingat, & una nupserit sibi coæquali libero, alia autem nupserit aut colono regis, aut colono Ecclesiæ: illa quæ illi libero nupsit sibi coæquali, teneat terram patris earum. Res enim alias æqualiter dividant. Illa enim quæ illi colono nupsit, non intret in portionem terræ, quia sibi coæquali non nupsit. Aliter imminebat

pœna. In Lege Salicâ, Tit. XXIX, Leg. 5. Si quis Francus alienam ancillam sibi publicè junxerit, ipse cum eâ in servitute permaneat. In Lege Longobardorum, libr. II, Tit. 9, Leg. 2. Si servus liberam mulierem aut puellam ausus fuerit sibi conjugio sociare, animæ suæ incurrat periculum: & illam, quæ servo fuerit consentiens, habeant parentes potestatem occidendi, aut foris provinciam transvendendi, & de rebus ipsius mulieris, faciendi quod voluerint. Et si parentes ejus infra anni spatiū hoc facere distulerint, tunc liceat gastaldo, (id est, comiti) regis, aut actori, aut sculdasio (id est, judici), ipsam in curtem, (id est, in cortem) regis ducere, & intra pensiles ancillas constituere. Vide & Legem Frisionum, Tit. 6.

Sororum filiis. Inde in nostrâ historiâ, Merovingiis regibus tanta in suas sorores earumque liberos studia, tanta pro iis suscepta bella. Quod jam observatum Cl. de Montesquieu, *Esprit des Loix*, XVIII, 22.

Sui cuique liberi. Verè quidem. At apud bellicosam gentem terra salica ad lanceam, seu ad filios, non verò ad fusum, seu ad filias, pertinebat. Nec apud Germanos ullum erat testamentum. Iis ignota ars illa, quâ penes Romanos, hereditatis firmandæ servandæque specie, plerumque hereditas pervertebatur, semper imminebatur. Germanorum hereditas ad liberos tota transibat. Quibus tamen successionum legibus docendum.

De successionum legibus apud Germanos.

GERMANICARUM successionum leges habet Lex Salica, Tit. LXII, *de Alodis*, Leg. 1. Si quis mortuus fuerit, & filios non dimiserit, si

pater aut mater superstites fuerint, in ipsam hereditatem succedant.

Leg. 2. Si pater & mater non superfuerint, & fratrem aut sororem dimiserit, in hereditatem ipsi succedant.

Leg. 3. Si isti non fuerint, tunc soror matris in hereditate succedat.

Leg. 4. Si verò soror matris non fuerit, sic soror patris in hereditate succedat.

Leg. 5. Et postea sic de illis generationibus, quicumque proximior fuerit, ipsi in hereditate succedant, qui ex genere paterno veniunt.

Leg. 6. DE TERRA VERO SALICA IN MULIEREM
NULLA PORTIO HEREDITATIS TRANSIT, SED
HOC VIRILIS SEXUS ACQUIRIT, HOC EST, FILII
IN IPSA HEREDITATE SUCCEDUNT. SED UBI IN-
TER NEPOTES AUT PRONEPOTES, POST LONGUM
TEMPUS, DE ALODE TERRAE CONTENTIO SUSCI-
TATUR, NON PER STIRPES, SED PER CAPITA
DIVIDANTUR.

Ex his legibus, sexta potissimum insignis est. Quæ ut intelligatur, advertendum in hac temporum antiquitate Germanos, uti observat eruditus Eccardus, habuisse domum, quam vocabant *Sal*; circa domum fuisse *Salbuck*, seu curtim, Gallicè *courtil*, spatiumve terræ, domui circumdatum, & sepe cinctum. Spatium illud cuin domo est *Seliland*, seu terra salica, quæ ad solos filios pertinebat: nec immerito; cum filiae in aliam domum terramque salicam nuptiis transirent.

His præmonitiis, nihil manet difficultatis. Legem Salicam firmat tantum & explicat Lex Ripuariorum, Tit. LVI, *de Alodibus*.

Leg. 1. Si quis absque liberis defunctus fuerit, si pater materque superstites fuerint, in hereditatem succedant,

Leg. 2. Si pater materque non fuerint , frater & soror succedant.

Leg. 3. Si autem nec eos habuerit , tunc soror matris patrisque succedant. Et deinceps usque ad quintum genuculum (id est ad quintam generationem) , qui proximus fuerit , in hereditatem succedat. **SED CUM VIRILIS SEXUS EXSTITERIT , FEMINA IN HEREDITATEM AVIATICAM NON SUCCEDAT.**

Hereditas illa aviatica , aliis paterna , aliis alodium , aliis terra salica dicta eadem & una res est , quæ ad virilem sexum , non ad muliebrem pertinebat. Plurimos adhuc Germanorum usus edocet Lex Anglorum & Werinorum , Tit. 6 , de Alodibus.

Leg. 1. HEREDITATEM DEFUNCTI FILIUS ; NON FILIA SUSCIPiat. SI FILIUM NON HABUIT QUI DEFUNCTUS EST , AD FILIAM PECUNIA ET MANCIPIA , TERRA VERO AD PROXIMUM PATERNÆ GENERATIONIS CONSANGUINEUM PERTINEAT.

Leg. 2. Si autem nec filiam habuit , soror ejus pecuniam & mancipia : terram proximus paternæ generationis accipiat.

Leg. 3. Si autem nec filium , nec filiam , neque sororem habuit , sed matrem tantum superstitem reliquit , quod filia vel soror debuerunt , mater suscipiat , id est pecuniam & mancipia.

Leg. 4. Quòd si nec filium , nec filiam , nec sororem , aut matrem dimisit superstites , proximus , qui fuerit paternæ generationis , heres ex toto succedat , tam in pecuniâ atque mancipiis , quam in terrâ.

Leg. 5. Ad quemcumque hereditas terræ pervenerit , ad illum vestis bellica , id est lorica , &

ultio proximi , & solutio leudis (id est compositionis , seu Weregildi) debet pertinere.

Leg. 6. Mater moriens filio terram , mancipia , pecuniam dimittat , filiae vero spolia colli , id est murenas , nuscas (seu fibulas), monilia , inaures , vestes , armillas , vel quidquid ornamenti proprii videbatur habuisse.

Leg. 7. Si nec filium , nec filiam habuerit , sororem vero habuerit , sorori pecuniam & mancipia , proximo vero paterni generis terram relinquit.

Leg. 8. Usque ad quintam generationem paterna generatio succedat. Post quintam autem filia ex toto , sive de patris sive matris parte , in hereditatem succedat , & tunc demum hereditas ad sum a lancea transeat.

Veterem Germanorum usum mutavere Burgundiones , ut patet ex eorum Lege , Tit. XIV , de Successionibus , Leg. 1. Inter Burgundiones id volumus custodiri , ut si quis filium non reliquerit , in loco filii filia in patris matrisque hereditate succedat. Nec aliter Lex Saxonum , Tit. VII , de Heredibus , Leg. 1. Pater aut mater defuncti filio non filiae hereditatem relinquunt. Leg. 4. Qui defunctus non filios , sed filias reliquerit , ad eas omnis hereditas pertineat ; tutela vero earum fratri vel proximo paterni generis depuetur.

Nihil vero veteris moris mansit apud Wisigothos , qui filiorum filiarumque jus commune fecere. Sic enim Lex Wisigothorum , libr. IV , Tit. 2. Ut sorores cum fratribus aequaliter in fratrum hereditate succedant , Leg. 1. Si pater vel mater intestati discesserint , tunc sorores cum fratribus in omni parentum facultate , absque alio objectu , aequali divisione succedant. Aliæ sunt plurimæ eadem de re eorum leges.

Apud nos verò , in regnatrice domo , viget & in immensum aucta Lex Salica , egregium imperii decus , & securitatis publicæ testamentum.

Orbitatis pretia. Quæ erant Romæ maxima. Vide suprà Annal. III , 25.

CAP. XXI. *Suscipere tam inimicitias.* Sic apud veteres populos consultum ne impunitate gliscerent injuriæ. Inde illi ultores sanguinis , quos videre est etiam apud Moysen , Num. XXXV , 19 & seqq. Legibus quoque Romanis statutum , Cod. libr. VI , Tit. XXXV , de his , quibus , ut *indignis* , *hæreditates auferuntur* , leg. 1. *Heredes* , quos necem testatoris inultam omisisse constiterit , *fructus integros cogantur reddere.*

Nec implacabiles. Apud bellatricem gentem & in cædes ultro ruentem , sapientissimè provisum , ut ira placabilis foret , & ipsa homicidia , non morte , sed pretio , luerentur , tantaque interfecti domus reciperet satisfactionem. Sic enim nemo infensus , nemo ad ultionem intentus manet. At ne paupertate cresceret intersectoribus audacia , optimè adhuc consultum primò , ut homicida quantum haberet solveret ; deinde , ut de reliquo satisfacere teneretur tota intersectoris domus. Quâ certè re vix quidquam utilius in publica commoda excogitari potuit , cùm , quantò major est libertas , tantò periculosiores sint inimicitiae. Quibus autem carimonii satisfaciendi necessitas in intersectoris domum transiret , docet Lex Salica , Tit. LXI , de Chren crude. Id est , de vacuo , Leg. 1. *Si quis hominem occiderit , & in totâ facultate non habuerit , unde totam legem impleat , duodecim juratores dabit , quod nec subtilis terram , neque supra terram plus de facultate habeat , quam donavit. Et postea debet*

in casam suam intrare, & de quatuor angulis terrae pulverem in pugno colligere, & postea in duropello, id est casæ limine, stare, & intus casam captare, id est respicere, debet, & sic de sinistrâ manu trans suas scapulas jaclare super proximiorem parentem. Quod si jam pater, aut mater, seu frater pro ipso solverunt, super sororem tunc matris, aut super ejus filios debet illam terram jaclare: quod si isti non fuerunt, super tres de generatione patris & matris, qui proximiores sunt: & postea in camisiâ discinctus, discalceatus, palo in manu supra sepem salire, ut pro medietate quantum pro compositione deberet, aut quantum lex addicat, illi tres solvant de maternâ generatione: hoc & illi alii, qui de paternâ generatione veniunt facere debent. Lege autem 2. Si verò aliquis ex illis pauperior fuerit, & non habet unde solvat debitum, quicumque de illis plus alio habet exsolvat, & iterum super illum Chrene chruda, ille qui est pauperior jacleret, ut ille totam legem solvat. Quod si hic etiam non habet, ut legem solvat, & totam legem componat, tunc illum, qui homicidium fecit, tollit, qui eum in fide suâ habet, & per quatuor Mallos præsentem faciat; & si eum per compositionem aut fidem nullus suorum tulerit, hoc est, eum redimat, aut pro eo persolvit, tunc de vitâ componit. Licet autem in hac lege Chren crude plurimum esset utilitatis, nonnihil tamen erat vitii, quod homicidarum furore, & legis severitate, multæ everterentur familiae. Unde legem illam postea abrogavit Childebertus rex, *Decret. Leg. 15*, de Chrenecrudâ lex, quam paganorum tempore observabant, deinceps nunquam valeat, quia per ipsam cecidit multorum potestas. Melius ergo a Canadensibus provisum, penes quos non intersectoris domus, sed ipse vicus satisfacit. Tunc

enim nulla ingruit ruina ; reo autem plus pudoris. Vide P. de Charlevoix, *Journal historique d'un voyage de l'Amérique*, Lettre XVIII, pag. 274. Quæ forent apud Germanos homicidiorum pretia jam vidimus suprà pag. 207. Vide & infra cap. 25.

Pecorum numero. Idem vidimus & illustravimus suprà cap. 12.

Hospitiis. Optimum institutum , ut a nostris moribus nunc alienum , sic hodieque Canaden-sibus barbaris familiare. Apud nos , invicem per commercia innexos , languet hospitalitas , viget apud barbaros latrociniis infames. Hujus discriminis causa in aperto. Scilicet commercia populos conjungunt ; privatos dividunt , penes quos commerciorum usū omnia fiunt venalia. Et quanto magis apud gentem aliquam fervent commercia , tanto magis ab hospitalitate abhorret. Contrà barbari commercia non norunt : latrocinia exercent , cùm indigent : hospitales suat ; quòd in hanc liberalitatem natura propendet , ipsisque expedit. Hæc pluribus ingeniosè explicat Cl. de Montesquieu , *Esprit des Loix* , XX , 2.

Effusus indulget. Aurei primæisque hominum mores , quorum memoria apud barbaros ac maxime Canadenses adhuc viget. Hac de re plura habet P. Lafitau , *Mœurs des Sauvages Américains* , Tom. II , pag. 88 & seqq.

Nefas habetur. Sic quoque Julius Cæsar , Bell. Gall. VI , 23. *Hospites violare , fas non putant* , qui quâque de causâ ad eos venerunt , ab injuriâ prohibent , sanctosque habent : iis omnium domus patent , victusque communicatur. Mela III , 3. *Jus in viribus habent , adeò ut ne latrocinii quidem pudeat , tantum hospitibus boni , mitesque supplicibus.* In lege Burgundionum , Tit. XXXVIII , leg. 1. *Quicumque hospiti venienti tectum aut fenum negaverit , trium solidorum , Gallicæ monetæ*

librarum 39, inlatione mulctetur. At hospitium virtuti, non sceleri, datum. Recte enim lex Salica, Tit. XVII, de Expoliationibus, leg. 2. Si quis hominem mortuum exfodierit & expolaverit, MALE. THVRNICALT, IIIIM. qui faciunt solid. c, Gallicæ monetæ libras 1310, culpabilis judicetur. Leg. 3. Et postea parentes defuncti judicem rogare debent, ut inter homines non habitet auctor sceleris; & qui ei hospitium dederit, antequam parentibus satisfaciat, DC den. qui faciunt solid. xv, Gallicæ monetæ libras 196, culpabilis judicetur.

Cum defecere. Cum defecere epulæ, vel cum nihil epularum supersit ei, qui hospitem receperat.

Nec data imputant. Nec acceptis obligantur. En barbarorum mores; en vita. Ipsi unum votum, una cogitatio, LIBERTAS.

CAP. XXII. Sæpius calida. Canadensisbus populis iisque regionibus, quas gravius urit frigus, sunt & hypocausta, Gallicè des étuves.

Sua cuique mensa. Separatae sedes, sua cuique mensa, id ex veteri popolorum usu, & cum vorax erat hominum genus. Idem passim reperi est apud Homerum ceterosque qui antiquos mores descripsere.

Procedunt armati. De hoc usu jam dictum supra cap. 13.

Cæde & vulneribus. Cruentam quoque & feralem Canadensium ebrietatem exprimit P. de Charlevoix, loc. cit. Lettre VIII, pag. 142. Apud Germanos severè coercitam hanc conviorum feritatem reperimus in Lege Salicâ, Tit. XLVI. De Homicidiis in convivio factis, leg. 1. Si in convivio, ubi quatuor aut quinque fuerint homines, unus ex ipsis interfactus fuerit, ille qui

remanet (id est, illi qui remanent) aut unum convictum reddant, aut omnes mortis illius compositionem collectent, quæ lex usque ad septem, qui fuerint in convivio illo, convenit observare.

Consultant. Talem consultationem vide supra Hist. IV, 14. Nec alii Canadensibus populis mores. Vide P. de Charlevoix, loc. cit. *Lettre XIV*, pag. 217.

Postera die retractatur. Posterâ die retractantur, id est rursus perpenduntur hesterna consilia. Sic salva est utriusque temporis ratio: nam in utroque tempore sua inest utilitas. Nempe deliberant, dum fingere nesciunt; constituunt, dum errare non possunt. Eadem omnino de Persis narrat Herodotus I, pag. 63, & Suidas in ὀνειδίᾳ.

CAP. XXIII. *Potui humor.* Potum illum Cerevisiam, la Biere, vocamus. De quo Plinius XIV, 22. *Est & Occidentis populis sua ebrietas fruge madidâ... Ägyptus quoque e fruge sibi potus similes excogitavit: nullaque in parte mundi cessat ebrietas: meros quippe hauriunt tales succos, nec diluendo, ut vina mitigant. At Hercules illic tellus fruges parere videbatur. Heu, mira vitiorum solertia! inventum est quemadmodum aqua quoque inebriaret.*

Recens fera. Idem habet Mela III, 3. *Victu ita asperi incultique ut crudâ etiam carne rescantur, aut recenti, aut cùm rigentem in ipsis pecudum ferarumque coriis manibus pedibusque subiungendo renovarunt. Panis usu, carnisque coctæ, & dulcedine vini, in mollissimo Italiae tractu, mitigatam Cimbrorum feritatem scribit Florus, III, 3.*

Lac concretum. Quod ne accipias de caseo, icet auctore Julio Cæsare, Bell. Gall. VI, 22, major pars victus eorum lacte, & caseo, & carne

consistit. Plinius, qui Germanorum mores penitus noverat, accurior. *Mirum*, inquit, *barbaras gentes*, quæ latte vivunt, ignorare aut spernere tot sæculis, casei dotem, densantes id alioquin in acorem jucundum & pingue butyrum: spuma id est lactis, concretiorque, quam quod serum, le petit lait, vocatur. Non omittendum in eo olei vim esse, & barbaros omnes infantesque noströs ita ungi. Plin. XI, 41. Lac ergo concretum, de quo Tacitus, butyrum est, Germanorum cibus & unguentum, ut videre est apud Apollinarem Sidonium, qui eorum habitum epulasque allio & cepa fetidas describit, Carm. XII, 1.

Quid me, & si valeam, parare carmen

Fescenninicola jubes Diones

Inter crinigeras situm catervas,

Et Germanica verba sustinentem,

Lauantem tetrico subinde vultu,

Quod Burgundio cantat esculentus,

Infundens acido comam butyro!

• • • • • • • • • •

Felicemque libet vocare nasum

Cui non allia sordidaeque cepæ

Rustant mane novo decem apparatus.

Sine apparatu, sine blandimentis. Contrari Romæ tanta erat populatio morum, tanta luxuria, ut parum esset in gulas condi maria terraque, nisi nova in dies excogitarentur gulæ irritamenta. Coqui triumphorum pretiis parabantur. Nullusque prope jam mortalis æstimatur pluris, quam qui peritissime censem domini mergit, Plin. IX, 17.

Si indulseris ebrietati. Vitium illud barbarorum omnium commune, quod neque cruentis cædibus, neque mortibus præproperis emendatur.

Janus

Janus Taddæus ad hunc Taciti locum illustrandum scripsit libellum *de Germanorum veterum aviditate bibendi*, in quo non tam Germanos purgat, quām ceteros populos accusat.

Armis vincentur. Sic nefariè suggestâ vitæ-aquā, ut loquuntur, tot perempta Canadensium millia. Quod P. de Charlevoix, loc. cit. *Lettre VIII*, pag. 141, aliique multi queruntur.

CAP. XXIV. *Saltu jaciunt.* Quo de lusu Apollinaris Sidonius Carm. V, vers. 246.

*Excusisse citas vastum per inane bipennes,
Et plagæ præscisse locum, clypeosque rotare,
Ludus & intortas præcedere saltibus hastas,
Inque hostem venisse priùs. Puerilibus annis
Est belli maturus amor.*

Aut mercedem. Immensa verò Romanorum in ludis impensa. Immania histriorum pretia; &, vel vigente republicâ, Roscius III d annua, Gallicæ monetæ libras 97,265, meritasse proditur, Plin. VII, 39. Excessere hæc pretia, luxuriante sub Principibus Româ.

Voluptas spectantium. Et ut civitatibus se adprobarent, ut vidimus suprà cap. 13.

Temeritate. De hac barbarorum pervicaciâ perulgatum exemplum protulit D. Ambrosius, in Tobiam, cap. XI. Ferunt Hunnorum populos, Scythicam gentem ut & Germanos, omnibus bellum inferre nationibus, fœneratoribus tamen, iis qui e ludo fœnerantur, esse subiectos, & cùm sine legibus vivant, aleæ solius legibus obedire, in procinctu ludere, tesseras simul & arma portare, & plures suis, quām hostilibus iætibus integrare. In victoriâ suâ captivos fieri, & spolia suorum perpeti, quæ pati ab hoste non noverint. Ideo numquam belli studia deponere, quod vieti aleæ ludo, cùm totius prædæ munus amiserint, ludendi

Subsidia requirunt bellandi periculo. Frequenter autem tanto ardore rapi, ut cum ea, quae sola magna aestimant, arma victus tradiderit, ad unum aleæ jaustum vitam suam potestati vel viatoris, vel fœneratoris, addicat. Denique constat, quod quidam, & Imperatori Romano cognitus, in fide premium servitutis, quod sibi tali sorte superatus intulerat, suppliciis imperatae mortis exsoluerit. Quo furore, ipso quoque libertatis periculo, talis suis, le jeu des osselets, ludant Canadenses populi memorant P. de Charlevoix, loc. cit. Lettre XVII, pag. 261, & P. Lafitau, *Mœurs des Sauvages Américains*, Tom. II, pag. 340.

Alligari se ac venire patitur. Non ita mirum est Germanos, ludi furore actos, voluntariam servitutem adiisse; cum, multa post saecula, licet religio accessisset, humanitasque atque opes auxissent, homines ingenui & suæ mentis compotes, se ipsi venderent, & servituti manciparent. Quâ de re inter veteres Formulas, solemnis est Formula IX. Venditio de semetipso: qualiter homo liber venumdetur. Domino semper meo illo N. Ego ille N. Placuit mihi, ut statum ingenuitatis meæ in vestrum deberem obnoxiare servitium. Quod ita & feci. Unde accepi a te premium, in quod mihi bene complacuit, solidos tantos; ita ut ab hodiernâ die quicquid de me servo tuo, sicut de reliqua mancipia tua (Barbare dictum pro de reliquis mancipiis tuis) facere volueris, a die præsente liberam habeas potestatem. Et quod fieri non credo, si fuerit ulla quislibet persona qui contra hanc venditionem, quam ego mede spontaneâ voluntate fieri rogavi, qui contra eam aliquid agere & calumniam generare conaverit, illud, quod repetit, non vindicet, & contrâ cui litem intulerit, auri libra una, argenti pondo quinque coactus exsolvat; & haec venditio firma

permaneat. Duæ nempe sunt res apud homines validissimæ, libido & necessitas. Ut libidini consulerent, servitutein non reformidabant Germani. Sponte quoque illam adibant, ne inopi necessitati succumberent.

Fidem vocant. Hæc est fides, quâ semper viguit semperque vigebit alea. Verè enim D. Ambrosius loc. cit. *Habet & alea suas leges, quas fori jura non solvant.* Notatur (*si credi potest*) infamia, qui putaverit renitendum, & infamium sententia gravius, quam censura judicialis inurit opprobrium. Hanc fidem retinemus; & inde nobis les dettes d'honneur.

CAP. XXV. *Per familiam ministeriis.* Vidimus Annal. XIV, 43. Pedanium Secundum, qui in unâ domo ipsâque in Urbe quadringentos servos haberet. Divisa inter eos ministeria, aut potius ministeriorum nomina, quæ passim occurrunt in veteribus Inscriptionibus, ac maximè apud Cll. Piranesi, Gori, ceterosque qui sepulcralia Romanorum monumenta illustravere. Hæc familia urbana. Alia erat in agris familia rustica: ibi nova ministeria, nova nomina; in quibus plus quidem utilitatis, plurimum adhuc luxus.

Ut colono. Colonum Gallicè dicimus, ut Fermier. At in Germaniâ colonus erat servus.

Haec tenus paret. Licet servus apud Germanos suam sedem habeat, suos penates regat, paret tamen domino, nec habet libertatem: haec tenus servus est. Tales fuere apud nos ante quatuor sæcula, quos servos, *les Serfs*, dicebamus. Postea Germani, Romanos imitati, servos habuere, deterioris conditionis; tunc penes eos mansit servorum nomen. Servi verò, ut ita dicam, coloni, dicti sunt Lidi. Hoc servorum

244 IN LIBRUM DE MORIBUS
discrimen patet ex Lege Salicâ , Tit. XXX , &
ex Lege Frisionum , Tit. XV.

Uxor ac liberi. Ac proinde non indigebant
servorum ministeriis.

Impune. Non impunè inimicum occidebant ;
siquidem homicidium numero pecorum lueretur.
Suum verò servum occidere impune erat. Sed si
quis alienum servum occideret , tunc solvendum
erat servi domino pretium. Inde in Lege Salicâ ,
Tit. XI , leg. 2. *Si quis alienum servum furaverit ,*
aut occiderit , aut vendiderit , aut ingenuum dimi-
serit , & ei fuerit adprobatum , MALB. THEV
TEXACA , m cccc den. qui faciunt sol. xxxv ,
Gallicæ monetæ libras 458 , culpabilis judicetur ,
excepto capitale & delaturâ. *De ancillâ verò*
solidos xxx , Gallicæ monetæ librás 393. Ca-
pitale verò Gallicè dicitur , *le capital , le prix*
de la chose. Delatura , *les frais de justice.*

Libertini. Servi , si manumitterentur , liberta-
tem adipiscabantur , & nuncupabantur liberti.
Ordo illorum hominum , libertinorum dicebatur ,
non verò libertorum , ut rectè observat Cl. Er-
nestus. Cùm invaluit pecuniæ usus , servi ma-
numittebantur , excusso ex eorum manu coram
rege , vel civitate , denario. Unde homines isti
denariati appellati sunt. Apud Germanos non
multùm supra servos erant ; & si sine liberis mors
eis obvenisset , eorum hereditas ad fiscum perti-
nebat , ut docet Lex Ripuariorum , Tit. LVII ,
leg. 4. *Si autem homo denariatus absque liberis*
discesserit , non alium nisi fiscum nostrum heredem
relinquat.

Quæ regnantur. Apud Germanorum gentes ;
quæ regnabantur , vitiis regum abutebantur liberti ,
ut sibi potentiam struerent. Quâ structâ , super
ingenuos & super nobiles ascendebant. Quantò

enim humilius fuit hoc hominum genus, tanto est superbius. Eamdem, aut potius, ob imperii magnitudinem, immensam libertorum libidinem sub Imperatoribus Claudio, Nerone, Galba vidimus. Vide & Cl. de Montesquieu, *Esprit des Loix*, XV, 19.

Ingenuos & super nobiles. Hic videmus quatuor conditionum discrimina nobiles nempe, ingenuos, libertinos, servos. Nobiles genere, dignitate, muneribus præcellebant. Ingenui origine stirpe que liberi, atque etiam, cum postea exigebantur tributa, a tributis immunes. Vide Gregorium Turonensem VII, 15. Libertini, qui, prius servi, fuerant manumissi: nondum tamen erant ingenui, sed libertini tantum, & libertinitatis obsequiis devicti. Servi autem, licet coloni, cum non essent sui juris, sed alienæ potestatis, verè serviebant. Illa conditionum diversitas sæpe memoratur in veteribus Germanorum legibus. Eam quoque videre est apud Saxonem Grammaticum in legibus Frothonis, Danorum regis, quas egregiè explicavit Cl. Mallet, *Introduction à l'Histoire de Danemarck*, pag. 111. Quomodo autem quis, non natus ingenuus in ingenuitatem assereretur docent veteres Formulæ, Formul. XII, de Ingenuitate. Qui debitum sibi nexum relaxat servitum, in futuro apud Dominum sibi retribueret confidat. Igitur ego in Dei nomine ille N. pro remedio animæ meæ, vel æternâ retributione, servum juris mei nomine illum N. ingenuum esse præcipio, & in sacro sanctâ Ecclesiâ beatissimi Sancti illius N. sub præsentia sacerdotum ibidem consistentium ante cornu altaris ab omni vinculo servitutis eum absolvō. Ita ut deinceps, tanquam si ab ingenuis parentibus fuisset natus vel procreatus, eat, perget partem quam maluerit, & sicut alii cives Romani vitam ducat ingenuam.

Et si aliqua procreatio filiorum, vel filiarum ex ipso orta fuerit, similiter vivat ingenua, & nulli heredum meorum, nec cuicumque aliæ personæ quicquam debeat servitutis, nec libertinatus obsequium, nisi soli Deo, cui omnia subiecta sunt; vel pro cuius amore ipsum devotus obtuli patrocinium & defensionem cuicumque se elegerit in omnibus illius perfruatur arbitrio. Si quis verò quod futurum esse non credo, si fuerit aliquis ex heredibus meis, vel quislibet persona, qui contra hanc ingenuitatem venire aut eam refragare præsumperit, illud quod repetit non vindicet, & insuper contra cui litem intulerit, solidos LX componat. Et præsens ingenuitas meis vel bonorum hominum manibus roborata cum stipulatione subnixa omnique tempore valeat invulsa.

Nunc verò quanti singulas conditiones fecerint Germani, ex diversis earum pretiis libet æstimare.

De diversis apud Germanos pretiis pro conditionum diversitate.

MIRUM sanè est Cl. de Boulainvilliers aliosque, in antiquâ nostrâ Historiâ non mediocriter exercitatos, eam, quam suprà posuimus conditionum diversitatem negasse, duasque tantum fuisse classes, nobilitatem & servitutem, pervicacius adseverasse. Aliud certè docent veteres nostri scriptores. Idem quoque manifestè adstruunt veteres Germanorum leges.

Sic enim in lege Angliorum & Werinorum; Tit. I, *de Homicidiis*, Leg. 1. Si quis Adalincum occiderit, *vc* sol. Gallicæ monetæ libras 7,860, componat. Leg. 2. Qui liberum occiderit, *cc* sol. Gallicæ monetæ libras 2,620, componat.

Leg. 4. Qui servum occiderit, xxx sol. Gallicæ monetæ libras 390, componat. Sic quoque Saxonibus fuere Edlingi, Frilingi & Lassi, id est nobiles, ingenui, & serviles, ut videre est apud **Lindenbrogium**, in **Glossario**, pag. 1347. Idem patet ex lege Frisionum, Tit. XV.

Francis quoque fuere Antrussiones, seu nobiles, Ingenui, Lidi, Servi. Inde in **Lege Salicâ**, Tit. LXXIV, de **Chreodiba**. Id est, de cadaveris combustionē, Leg. 1. Si quis hominem ingenuum seu in silvā seu in quolibet loco occiderit, & ad celandum in igne combusserit, xxiiii m den. qui faciunt sol. **DC**, Gallicæ monetæ libras 7,860, culpabilis judicetur. Leg. 2. Si quis antrussionem vel feminam taliter interficerit, aut celaverit, aut igne cremaverit, **LXIIII** (Verius **LXXIIII**) den. qui faciunt sol. **MDCCC**, Gallicæ monetæ lib. 23,580, culpabilis judicetur. Tit. XXXVIII, de **Homicidiis servorum**, vel **expoliationibus**, Leg. 5. Si quis servum alienum mortuum expoliaverit per furtum, & spolia ipsa plus quam **xL** denarios, Gallicæ monetæ libras 13, valeant, tulerit, **MALB.** **THEN FRIO MOSIDO**, **DC** den. qui faciunt sol. **XV**, Gallicæ monetæ libras 196, culpabilis judicetur. Leg. 6. Si quis verò homo ingenuus Lidum alienum expoliaverit, **MALB.** **THEU MOSIDO**, **MCCCC** den. qui faciunt solid. **XXXV**, Gallicæ monetæ libras 458, culpabilis judicetur.

Servorum verò nomina, quæ postea apud Germanos, ut & apud nos, in dignitatum titulos evasere, simul & pretia habet **Lex Salica**, Tit. XI, de **Servis mancipiis furatis**. Si quis **Majorem**, le Grand-Maître, **Inferiorem**, le maître d'Hôtel, **Scantionem**, le Bouteillier ou l'Echanson, **Marscallum**, le Maréchal, **Stratorem**, l'Ecuyer, **Fabrum ferrarium**, **Auriforcem** sive **Carpentarium**,

*Vinitorem, vel Porcarium, vel Ministerialem furaverit, aut occiderit, vel vendiderit, valentem sol. xxv, Gallicæ monetæ libras 327, MALB. THEVCA TEXARA MCCCC den. qui faciunt sol. xxxv, Gallicæ monetæ libras 458, culpabilis judicetur, excepto capitale & delaturā. Hæc sint satis de conditionum diversitate apud Germanos. Vide & Cl. de Montesquieu, *Esprit des Loix*, XXX, 25, & Cl. Gautier de Sibert, *Mémoires de l'Académie Royale des Inscriptions*, Tom. XXXVII, pag. 541 & seqq.*

Impares Libertini. Apud ceteros populos, qui in Germaniâ non regnabantur, libertini erant infra ingenuos ac nobiles; quod certissimum libertatis argumentum.

CAP. XXVI. *Fenus agitare. Contrà vetus Urbi fenebre malum, & seditionum discordiarumque creberrima causa; ut vidimus suprà Annal. VI, 16.*

Per vices occupantur. Potius per vicos occupantur: id enim innuit rerum series: ita quoque placitum Grotio, Conringio, Menagio, aliisque eruditis viris. De hoc Germanorum usu multa habet Julius Cæsar, Bell. Gall. VI, 21. Agriculturæ non student, majorque pars viëtus eorum lacte, & caseo, & carne consistit; neque quisquam agri modum certum aut fines proprios habet, sed magistratus ac principes in annos singulos gentibus cognationibusque hominum, qui unda coierunt, quantum eis & quo loco visum est attribuunt agri, atque anno post alio transfire cogunt. Ejus rei multas afferunt causas: ne assiduâ consuetudine capti studium belli gerendi agriculturâ commutent: ne latos fines parare studeant, potentioresque humiliores possessionibus expellant: ne accuratius, ad frigora atque aestus vitandos,

œdificant : ne qua oriatur pecuniæ cupiditas , quâ ex re factiones dissensionesque nascuntur : ut animi œquitate plebem contineant , cùm suas quisque opes cum potentissimis œquari videat.

Supereft ager. Taleni agrum Gallicè dicimus ; une terre en jachere.

Prata separant. Fecundiora enim sunt prata , si separantur , quàm si pateant , ac sint promiscua.

Bona ignorantur. Cùm pomaria non consere-rent Germani , messibus contenti , fructiferum autumnum ignorabant. Nunc quidem omnes au-tumni fructus novit Germania : manet tamen veteris memoriæ monumentum : neque ullum adhuc nomen autumni proprium : communi vo-cabulo appellatur *Herbst* , id est messis , quam-unam noverant veteres Germani. Videtur autem primos mortalium duas tantum anni tempestates , æstatem & hiemem , observasse. Unde Moses in Genesi VIII , 22. *Æstas & hiems , nox & dies.* Deinde tres , ac demum quatuor anni tempestates distinxere.

CAP. XXVII. *Nulla ambitio.* Contrà apud Romanos maxima. C. Cæcilius Claudius Isidorus funerari se jussit H-s XI , Gallicæ monetæ libris 213,984. Plinius XXXIII , 10. Hæc adhuc pri-vati funera , & ante imperii luxum. At periti rerum asseverant Arabiam non ferre tantum odorum annuo fetu , quantum Nero princeps novissimā Poppææ suæ die concremaverit , Plin. XII , 18.

Certis lignis. Quibus lignis ignotum. Divi-nare haud vacat.

Cumulant. Ut mos fuit apud Romanos , qui funebrem Orientis magnificentiam æmulati sunt. Sic Cornelia in funeribus Pompeii Magni apud Lucanum IX , 175.

Collegit vestes , miserique insignia Magni ,

*Armaque & impressas auro , quas gesserat olim
Exuvias , pictasque togas , velamina summo
Ter conspecta Jovi , funestoque intulit igni.*

Vide & apud Plutarchum in Syllâ , pag. 475 , illata in Syllæ funere decem & ducenta fercula odorum , & grandia Syllæ ejusque lictoris simulacra e thure & cinnamomo.

Equus adjicitur. Sic in sepulcro Childerici , Francorum regis , reperta ejus arma , framea , gladius : inventum quoque equi ejus caput , & solea , fibulæ præterea phaleræque aureæ : quæ omnia vide apud eruditos Joan. Jac. Chiffletium , *Anastasis Childerici regis* , pag. 96 , 219 & seqq. ac Montfaucon , *les Monuments de la Monarchie Françoise* , Tom. I , pag. 10 & seqq. Pars magna adhuc exstat Parisiis in Cimelio Regio. Præter jam memorata corpusque Childerici , reperta adhuc calvaria una , quæ fortè fuit ejus equifonis. Sic enim de Scythis , Germanorum auctoribus , prodit Herodotus IV , 71.

Cespes frigit. Tumulum cespite exstructum janu vidimus suprà Annal. I , 62. Maximos quoque e cespite tumulos regibus suis Scythas erexitse memorat Herodotus , loc. cit.

Operosum honorem. Molium illarum rudera exstant adhuc Romæ in Cestii , Augusti , Hadriani monumentis , aliisque plurimis , quæ passim & maximè in viâ Appiâ occurunt.

Viris meminisse. Id quoque apud Canadenses populos vulgatum : *Lacrimæ viros dedecent.* Et ad bellum profecturi , suos tantùm ita alloquuntur : *Sit nostrî memoria.* Feminæ autem viros , liberos , per annum integrum lugent , eosque hoc toto tempore continuis ejulatibus mane , vespere , medio die , domi , foris vocant. Vide P. de Charlevoix , loc. cit. *Lettre XXVI* , pag. 376.

CAP. XXVIII. *Divus Julius tradit.* Jul. Cæsar Bell. Gall. VI, 24. Fuit antea tempus, cùm Germanos Galli virtute superarent, & ultiro bella inferrent; ac, propter hominum multitudinem agrique inopiam, trans Rhenum colonias mitterent. Itaque ea, quæ fertilissima sunt, Germaniæ loca circum Hercyniam silvam, quam Eratostheni & quibusdam Græcis famâ notam esse video, quam illi Orciniam appellant, Volcæ Teclōsages occuparunt, atque ibi consederunt. Quæ gens ad hoc tempus iis sedibus se continet, suminamque habet justicæ & bellicæ laudis opinionem: nuncque in eâdem inopiâ, egestate, patientiâ, quâ Germani permanent; eodem viâ & cultu corporis utuntur.

Helvetii. Helvetii, les Suisses, latius olim, quām nunc, Lugdunum versus habitavere. Præterea in Germaniam ingressi, eam tenuere inter Rhenum Mœnumque amnes Hercyniamque silvam, le Rhin, le Mein, & la forêt de Hartz.

Ulteriora Boii. Boii, Gallica gens & Helvetiis contermina, ut patet ex Strabone IV, pag. 206, & Julio Cæsare, Bell. Gall. I, 29. Victi a Cæsare sedem illam ab Æduis accepere, quam nunc dicimus le Bourbonnois. Ante in Germaniam profecti, & ultra Mœnum provecti, Hercyniam Silvam tenuere. Manet adhuc eorum nomen in Boiemi nomine, la Bohême. Quo tempore Helvetii Boiique Germaniam penetraverint, haud ita compertum. Id tamen videtur contigisse, cùm Tarquinius Priscus Romæ regnaret. Tunc enim Ambigatus, rex Biturigum, le Berry, Sigovesum, sororis filium, in saltus Hercynijs misit, ut prægravante turbâ regnum exoneraret, Livius V, 33 & seqq. Alia fuit Boiorum in Italiam expeditio, sed infelicior, Plin. III, 15. Vide quæ dixi supra

Tom. I, pag. 367, cùm differerem in veteres
Gallorum glorias.

Mutatis cultoribus. Augusti temporibus, Boii
e Boiemo a Marcomannis pulsi, in Noricum
concessere; & eorum de nomine dicta est Bo-
joaria, nunc la Baviere.

Aravisci. Ptolemæo quoque, II, 16, memo-
rati. Hungariæ inferioris partem, quam dicimus
le Palatinat de Pilis, tenebant. A Plinio III, 25,
dicti videntur *Eravisci*, si valet eruditæ Harduinæ
conjectura.

Osis. Litem dirimere videtur Tacitus infrà
cap. 43; eosque Pannonicâ linguâ, aut potius
dialecto, & tributorum patientiâ coarguit non
esse Germanos. Marcomannis Quadisque ulte-
riores erant; partemque septemtrionalem Trans-
danubianæ Hungariæ occupabant: fortè protensi
Silesiam usque, ubi *Ossen*, dans le Duché d'Oels,
locus salinis & arte vitrariâ nobilis. Oſos tamen
Germanos esse contendit eruditus Pelloutier,
Histoire des Celtes, I, 15, pag. 184. Sed non
ita probabiliter.

Treveri & Nervii. Treveri, le Diocese de
Treves. Nervii, le Cambrefsis & le Hainau.

Vangiones, Triboci, Nemetes. Vangiones;
le diocese de Worms: Triboci, le diocese de
Strasbourg: Nemetes, le diocese de Spire.

Ubii. Ubii, le Diocese de Cologne. Eos, Cattis
exosos, & in partes Romanorum pronus, e Ger-
maniâ in Gallias transgressos, in fidem recepit
Marcus Agrippa, anno Urbis conditæ DCCXVII,
Strabo libr. IV, pag. 194. Apud eos nata Agrip-
pina, mater Neronis, Claudi uxor, in eorum
oppidum veteranos coloniamque deduci impe-
travit; cui nomen inditum ex vocabulo ipsius,
ut vidimus suprà Annal. XII, 27.

Ut arcerent. Super ipsam Rheni ripam Ubios

Collocabit Agrippa, ut Germanos arcerent, non ut ipsi custodirentur, experimento fidei satis probati.

CAP. XXIX. Batavi. Batavi non modò insulam Rheni aminis, *le Bétuve*, sed aliquid ex ripâ, ubi aliquot Batavorum oppida, coluere. De his dictum suprà Hist. IV, 12, & Hist. V, 19.

Antiquæ societatis. Unde Batavi dicti sunt fratres & amici populi Romani, ut constat ex vetere lapide apud Gruterum, pag. 72, num. 9,

CIV. BATAVI

FRATRES. ET. AMICI. P. R.

Publicanus. De publicanis dictum suprà Annal. XIII, 50.

Oneribus & collationibus. Onera, collationes, les corvées, les contributions.

Reservantur. Vide suprà Hist. IV, 12.

Mattiacorum gens. Mattiaci terras illas obtinuere, quas nunc dicimus partie de la Wétéravie, de la Hesse, d'Isenbourg, de Fulde. Ibi Mattium, Marpurg, de quo suprà Annal. I, 56, & Mattiaci fontes, nunc Wis-baden, près de Mayence. De Mattiaco agro dictum Annal. XI, 20.

Finibusque. Variis Germaniæ populis sui erant fines, quos solitudine defendebant. Id enim enixè curabant, ut circa ipsos, quæ jacebant, vasta forent, Mela III, 3. Quod quoque testatur Julius Cæsar Bell. Gall. IV, 3, Publicè maximam putant esse laudem, quam latissimè a suis finibus vacare agros: hac re significari magnum numerum civitatum suam vim sustinere non potuisse. Itaque unâ ex parte a Suevis circiter millia passuum DC (emendandum LX merito monuere viri eruditii) agri vacare dicuntur; & VI, 23, Civitatibus

maxima laus est, quām latissimas circum se vastatis finibus solitudines habere. Hoc proprium virtutis existimant, expulsos agris finitimos cedere, neque quemquam prope se audere consistere; simul hoc se fore tutiores arbitrantur, repentinæ incursionis timore sublato.

In sua ripa. Usque ad Rheni ripam diffusi Mattiaci, maximè cùm Ubii cis Rhenum fuere transgressi.

Solo & cælo. Apud Batavos humidum cælum solumque; contrà apud Mattiacos siccum, unde Mattiaci acriùs animabantur, pro solitâ locorum animorumque cognatione.

Decumates agros. Decumates agri, nunc la Suabe. Cùm, sub finem imperii Cæsaris Augusti, Marcomanni, relictis suis sedibus Reno proximis, in Boiemum migrassent, vacua eorum loca ex Gallis, Rauracis scilicet & Sequanis, levissimus quisque occupavere. Agri illi Decumates inde dicti videntur, quòd incolæ, Germanorum incursionibus obnoxii, ut in Romanorum fidem reciperentur, proventuum decimam solverint. Eos vallo munivit Hadrianus. Vallum Neostadio, Neustat, oppido ad Danubium haud procul Almoni, Altmühl, fluvii ostiis sito, ad fluvium Nicrum, le Nekre, versus oppidum Wimpinam, Wimpfen, per sexaginta leucarum Francicarum spatha continuatum. De Decumatibus agris, valloque, quod iis prætendebatur, plura vide apud eruditum Schoepflin, Alsatia illustrata, Tom. I, pag. 174, 241 & seqq.

Limite acto. Cùm Decumates agri in Romanorum fidem fuissent recepti, tunc ultra Rhenum actus est limes imperii, promotaque præsidia; & agri Decumates habitu sunt tamquam sinus imperii, & pars provinciæ, Germaniæ scilicet superioris,

CAP. XXX. Ultra hos Catti. Ultra Decumates agros Catti , quorum amplissima sedes inter Rhenum , Mœnum , Salamque fluvios & silvam Bacenim , le Rhin , le Mein , le fleuve Sala , & partie de la forêt de Hartz au-delà du Wéser ; ubi nunc la Hesse , la Turinge , partie du diocèse de Paderborn , de l'Abbaye de Fulde & de la Franconie. Observandum , quod eruditæ viri saepe jam monuere , ea , quæ Julius Cæsar , Florus , Ptolemæus , de Suevis dixerunt , de Cattis esse intelligenda. Eruditus Leibnitius , Scriptores Brunsvicenses , Tom. I , pag. 10 , putat Cattos dictos esse a felibus , acerrimo animali quod ab aliis Catte , ab aliis Hesse nuncupatur.

Saltus Hercynius. De silvâ Hercyniâ jam dictum suprà Annal. II , 45. Quæ verò hujus silvæ tunc fuerit facies scribit Plinius , Germaniæ occupatus testis , XVI , 2. Hercyniæ silvæ roborum vastitas intacta ævis , & congenita mundo , propè immortali sorte miracula excedit. Ut alia omittantur fide caritura , constat attolli colles occurssantium inter se radicum repercuſſu : aut ubi secutæ tellus non sit , arcus ad ramos usque , & ipsos inter se rixantes , curvari portarum patentium modo , ut turmas equitum transmittant.

Stricli artus. Artus nervis validi ; unde Vegetius I , 6. Sit ergo adolescens Martio operi depurandus , vigilantibus oculis , erectâ cervice , lato pectore , humeris musculosis , valentibus digitis , longioribus brachiis , ventre modicus , exilior cruribus , suris & pedibus non superfluâ carne distentis , sed nervorum duritiâ collectis.

Disponere diem. Disponere diem ad prælia : vallare noctem contra incursus. Contrà solitum barbaris latitare diu , noctu adsultare , ut occularentur insidiæ , majorque ingrueret terror. Si per noctem nihil molirentur , tunc nullâ lege ,

256 IN LIBRUM DE MORIBUS
nullo ordine, somno ingluvieque oppressi jacebant.

Ratione disciplinæ. Ratione usuque disciplinæ militaris acceptum.

In Duce. Optimè Florus II, 18, *Tanti exercitus, quanti Imperator.*

Ferramentis. Ferramentis ad opus, copiis ad victum, peditem onerabant.

Ad prælium. Alios videas ire ad prælium; unico impetu conficiendum; Cattos, ad bellum arte, disciplinâ, tempore, administrandum. Prælium, *le combat*; bellum, *la guerre*.

Fortuita pugna. Apud Cattos rari erant excursus, rara quoque pugna fortuita.

Formidinem. Quò quis timidior, eò velocior. Qui cunctatur, constantior est.

CAP. XXXI. *Vertit.* Id est, versum est. Sic Quintus Curtius IV, 6. *Ira deinde vertit in rabiem.*

Crinem barbamque. Sic privatâ audentiâ crinem barbamque summisit Civilis, ut vidimus suprà Hist. IV, 61. Sic apud Paulum Warnefridum, Hist. Longobard. III, 7. *Sex millia Saxonum, qui bello superfuerant, devoverunt se, neque barbam, neque capillos incisuros, nisi se de hostibus Suevis ulciscerentur.* Recentior memoria Gulielmi Lumeii ex comitibus a Marcâ, qui se obstrinxit voto non positurum se antè capillum, quam Egmontii atque Hornani mortem ultus effet. Strada, de Bello Belgico, libr. VII, pag. 344.

Pretia nascendi. Egregiè dictum. In tot tantisque miseras mortale genus nascitur, ut unicum nascendi pretium sit virtus. Singulare autem & atrox fuit apud Canadenses populos illius Iroquæi, *Iroquois*, dictum, qui cum patrem suum diverso in exercitu offendisset, eum jugulatus,

restitit, & ait: Vitam quam a te semel accepi, tibi hodie reddo. Noli alias occurrere. Nihil tibi jam debeo. Vide P. de Charlevoix, loc. cit. *Lettre XXI*, pag. 309.

Ferreum insuper anulum. Servitutis, ut videtur, insigne. Institutum illud Cattorum multi postea, sed amatoriè magis, quām militariter, imitati sunt. Sic anno 1414, Johannes, dux Borbonius, ut dominæ suæ gratificaretur, cum sexdecim equitibus nobilibusque vovit se & equites singulis diebus dominicis per duos annos sinistrâ in tibiâ aureum anulum gestaturos, nobiles argenteum, donec parem equitum nobiliumque, quibuscum concertarent, numerum reperissent. Vide Cl. de Vertot, *Mémoires de l'Académie Royale des Inscriptions*, Tom. II, pag. 595.

Canent insignes. Multis jam cædibus insignes canent, anulum ferreum gestantes, torvoque habitu, ut se novarum semper cædium avidos probent.

Impares faciat. Ii sunt Catti, qui quinquaginta & centum circiter pòst annis cum Cherusciorum cis Visurgim, le Wéser, reliquiis, cum Attuariis, Sicambris, Chamavis, Bructeris, Chaucis, Francicum fœdus iniere, vicitisque Romanis, Gallias occupavere. Inde nobis nomen. Inde mores. Inde leges.

CAP. XXXII. *Certum jam alveo.* Ita latum profundumque, ut possit esse terminus, nec præfidiis custodiisve indigeat.

Usipii ac Tencteri. Bellorum casuumque societate conjuncti, sedibus suis ad Rhenum paulò infra Moguntiacum, *Mayence*, olim a Cattis pulsi fuerant. Menapiorum sedes trans cisque Rhenum occupavere, ut docet Jul. Cæsar Bell. Gall. IV, 1 & seqq. Adversis adhuc casibus cons

fletati, Sicambrorum ab Augusto, Tiberii ductu; cis Rhenum transvectorum, agros obtinuere, nunc les comtés de Berg, Mark, Lipp, Waldek, l'Evêché de Paderborn.

Equi traduntur. Ut jam vidimus suprà cap. 18.

CAP. XXXIII. *Bructeri.* Olim habitavere inter Rhenum, Luppiam, la Lippe, Amisiam, l'Ems, & Frisios la Frise, ubi nunc la Westphalie & Ower-Isel. Bructeros a Broeken & Bruchen, seu paludibus, quæ ibi frequentes erant, dictos fuisse existimat Cl. Alting, Notit. German. Infer. pag. 20. Multis adversùs Romanos præliis & Civilis societate nobilitati, ut sæpe vidimus suprà in Annalium & Historiarum libris, superbire. Ideo vicinis nationibus exosi, sedibus suis pulsū sunt, ac penitus excisi.

Chamavos & Angrivarios. Antequam Bructerorum sedes occuparent, Chamavi ad Amisiam, l'Ems, positi, ubi nunc Lingen & Osnabrug; Angrivarii ad Visurgim, le Wéser, ubi nunc Minden & Schawenburg. Antiquior fuit Chamavorum migratio ad Rhenum, si accurata sunt quæ habet Tacitus Annal. XIII, 55. Vide quæ ibi notavimus. Angrivarii autem postea dicti sunt Angrarii, parsque fuere Saxonum, & communem cum iis legem habuere. Vide Legem Saxonum, apud Lindenbrogium.

Penitus excisis. Non ita excisi sunt, ut nullæ remanerent reliquiæ. Immo & insignes fuere in foedere Francico, ut diximus suprà. Memorantur quoque in Tabulâ Peutingerianâ. Sic & Claudianus, in Panegyric. de IV consulatu Honorii vers. 450.

*Venit accola silvæ
Bructerus Hercyniae,*

Nempe post cladem suam , pulsi suis sedibus , inter Coloniam , Cologne , & Hassiam , la Hesse , habitavere , ut docet eruditus Eccardus , de Rebus Franciæ Orientalis , Tom. I , pag. 304.

Superbiæ odio. Regnabantur Bructeri. Inde illis superbia & opes. Antequam a Germanis dele-rentur , eos terrore domuerat Vestricius Spurinna , ideo triumphali statuâ donatus. Plinius II , Ep. 7. *Spurinna Bructerum regem vi & armis induxit in regnum : ostentatoque bello , ferocissimam gentem (quod est pulcherrimum victoriæ genus) terrore perdomuit.*

Invidere. Nám dii ultro obtulere prœlii spectaculum , quo super sexaginta millia Germanorum , non armis telisque Romanis , sed quod magnificientius est , quasi spectantium oblectationi oculisque , suis ipli armis ceciderunt. Ergo excidium illud contigit haud procul Fossâ Drusianâ , de quâ dictum est Annal. II , 8. Ex hoc loco , præsidiiisque ad Rhenum positis , prœlium spectavere Romani. Idque Romæ narratum primo Trajanī Principis anno.

Urgentibus. Laudat Lipsius e Ms. *vergentibus*. Melius Illustr. Huetius e conjecturâ , *vigentibus*. Hæc enim cùm scriberet Tacitus , vigebat impe-rium Romanum , Trajano Principe.

CAP. XXXIV. *Dulgibini & Chasuari.* Ha-bitavere prope fontem Luppiæ , la Lippe. Deinde in Chamavorum & Angrivariorum , qui Bructeros expulerant , sedes transiere. Idem videntur , qui Velleio Paterculo II , 105 , dicti sunt Attuari , & postea Attuariorum nomine fœdus Francicum iniere. Straboni VII , pag. 291 , dicuntur Chat-tuarii.

Aliæque gentes. Nempe Ansibarrii , & Tuban-tes , de quibus dictum suprà Annal. XIII , 55.

Anfibarios, vel *Amsfibarios*, a viciniâ *Amisix*; *l'Ems*, quem accolabant, nomen duxisse opinatur *Cl. Alting, Notit. German. Infer.* pag. 6. Idem, loc. cit. pag. 125, putat *Tubantes* a frequentibus locorum mutationibus vocatos fuisse *Tho Benten*, id est, catervas errantes, & incoluisse ubi nunc *Drente*, dans *l'Ower-Issel*. Inter has gentes, *Ambrones*, *Ambri* fluvii, *Emmeren*, accolas, numerat *Illustr. de Furstenberg, Monumenta Paderbornensia*, pag. 181.

Minoribusque Frisiis. Frisi, la Frise. Cis Flevum, nunc *le Zuyder-zée*, habitabant Frisiî minores; trans *Flevum*, Frisiî majores.

Immensos insuper lacus. Ibi jam Romanorum temporibus immensi lacus. Quos majores adhuc fecere plurimæ maris inundationes, ac maximè ea quæ contigit anno 1530, quæ duos ac septuaginta pagos tumulavit. Anno 1569, alia fuit & tetricor exundatio, quæ magnam litoralis Hollandiæ partem, totam fere Frisiâm contexit, & vel in solâ Frisiâ viginti millia hominum hausit.

Romanis classibus. Vide suprà Annal. I, 70; & II, 8.

*Herculis columnas. Ubi terrarum termini, nec plus ultra, ibi maritimæ gentes finxere Herculis columnas. Quas quidem inquirere vanum est. Quæ tamen apud Frisiis celebrabantur, fuere sanè in Frisiorum finibus, minimè verò in Sueciâ promontorioque Cimmerio, ut vult eruditus Rudbeckius, *Atlantica*, pag. 251 & seqq.*

Druso Germanico. Tiberii Imperatoris fratre, patre Germanici; Frisiis tributum imposuit, ut vidimus supra Annal. IV, 72, aliaque egregia in Germaniâ præststit. Plura vide suprà in Stemmate Cæsarum, Tom. II, pag. 428, num. 79.

Amisiâ , l'*Ems* , ad Albim , l'*Elbe* , litori maris prætendebantur : unde omnium , de quibus modò dictum est , gentium lateribus obtendebantur , quas inter & Cheruscos sinuabantur usque in Cattos. Distinguebantur Chauci majores & minores. Majores Chauci , si fides Ptolemæo , inter Visurgim , le *Wéser* , & Albim ; minores , inter Amisiām , l'*Ems* , & Visurgim. At ex Tacito Annal. XI , 19. Chauci majores videntur potius fuisse inter Amisiām & Visurgim. Minores inter Visurgim & Albim. Cl. Alting , Not. German. Infer. pag. 41 , existimat ita appellatos Chaucos , quia *Kauken* dicuntur viri fide ac virtute insignes : quod cum Taciti verbis consentit. Alii volunt sic nuncupatos fuisse a *Kauk* , ululâ , quæ feles , seu cattos , venatur : alii a *Kaiten* , gracculis , quo-ruin magna est in his oris multitudo. Chaucorum , qui mare accolarent , loca moresque egregiè descripsit Plinius XVI , 1 , cùm gentes , quæ sine arbore ullâ , sine frutice viverent , memoraret. Sunt verò in Septemtrione visæ nobis gentes Chaucorum , qui majores minoresque appellantur. Vasto ibi meatu , bis dierum noctiumque singula- rum intervallis , effusus in immensum agitur Oceanus , æternam operiens rerum naturæ con- troversiam , dubiamque terræ sit , an parte in maris. Illic misera gens tumulos obtinet altos , aut tribunalia structa manibus ad experimenta altissimi œstus , casis ita impositis : navigantibus similes , cùm integrant aquæ circumdata : nau- fragis verò , cùm recesserint : fugientesque cum mari pisces circa tuguria venantur. Non pecudem his habere , non laete ali , ut finitimis , ne cum feris quidem dimicare contigit , omni procul ab aëlo frutice. *Ulvâ* & palustri junco funes nectunt ad prætexenda piscibus retia : captumque manibus lutum ventis magis , quam sole siccantes : terrâ

*cibos & rigentia Septemtrione viscera sua urunt:
Potus non nisi ex imbre servato scrobibus in vesti-
bulo domūs. Et hœ gentes , si vincantur hodie
a populo Romano , servire sè ducunt. Ita est pro-
fectò : multis fortuna parcit in pœnam.*

*Omnibus arma. Inde postea posita a Romanis
præsidia , ad cohibendos Chaucos , quos Caycos
dixit Lucanus I , 463.*

*Et vos crinigeros bellis arcere Caycos
Oppositi.*

Vide & Claudianum , de laudibus Stiliconis I ,
225.

CAP. XXXVI. Cherisci. Tunc , infrà Chaucos ,
inter Visurgim , le Wéser , & Albim , l'Elbe ,
habitabant Cherisci , ubi nunc Lunebourg ,
Brunswik , partie de la Marche de Brandebourg
en deçà de l'Elbe. Latius olim Augusti principatu
habitavere , atque etiam cis Visurgim , ut patet
ex Drusi expeditionibus apud Dionem LIV ,
pag. 544 , & Velleium II , 105. Ni fortè , ut
observat Cl. Dithmarus , quæ de Cheruscis cis
Visurgim feruntur , intelligenda sint de Dulgi-
binis , Cheruscorum clientibus. Nam , teste Stra-
bone VII , pag. 291. Varum cecidere Cherisci
iisque subditii populi. De Varianâ clade dictum
fatis Annal. I , 60. Egregia quoque Arminii ,
Cheruscorum ducis , facinora vidimus libris An-
nalium I & II.

Et Fosi. Fosos eosdem esse ac Saxones antiquos
volunt Cluverius , Laccary aliique multi. At cum
Fosi fuerint Cheruscis contermini , verior est Cl.
Leibnitii sententia , Fosos incoluisse ad Fusam
amnem , qui apud Cellas Alleram fluvium , l'Aller ,
subit : eosque fuisse velut appendicem Cherusco-
rum , ut hodie Brunsvicensium Heildesheimenses ,

Heildesheim. Saxonum nomen Tacito recentius, nec innotuit ante Antonini Pii principatum, quo tempore Chersoneso Cimbricâ egressi inclaruere, & postea cum Anglis Britanniam occupavere.

CAP. XXXVII. *Eumdem Germaniæ situm.*
Versus Septemtrionem.

Cimbri tenent. Manet adhuc eorum nomen, & quas incoluere terras dicimus *la Chersonese*, ou *la presqu'isle Cimbrique*; ubi *le Jutland*, *Sleswig*, *le Holstein*. Cimbrorum gloriam varioſque casus paucis, sed accuratè, descripsit Cl. Mallet, *Introduction à l'Histoire de Danemarck*, pag. 13 & seqq.

Parva nunc civitas. Parva quidem tunc erat civitas, migrationibus, inundationibus, bellis, cladibusque exauusta, ut videre est apud Florum III, 3. Sed postea revaluit. Et ex hac gentium vaginâ emersere Franci, Saxones, Normanni, aliique plurimi populi, qui totam ferme Europam juris Germanici fecere.

Gloria ingens. Per Germaniam, Galliam, Hispaniam, Britanniam, Italiam, & ad Mœotin usque, quò progressi, teste Posidonio apud Strabonem libr. VII, pag. 203, Cimmerium, aut Cimbricum, Bosphorus de suo nomine appella- verunt.

Utraque ripa. Utrâque Chersonesi Cimbricæ. ripâ vulgò exponunt, nec malè. Existimant tamen viri eruditæ Cluverius & Dithmarus, cùm inde constet magni exercitûs fides, hæc castra spatiaque quærenda vel in Italiâ, circa fluvium Athesin, *l'Adige*, vel in Galliâ Narbonensi juxta Aquas Sextias, *Aix en Provence*, ubi Florus III, 3, Teutonos, a Mario cæſos, vallem & medium fluvium tenuisse memorat. De Cimbrorum immensâ multitudine vide Justinum XXXVIII, 5. & Plutarchum in Mario, pag. 411.

Molem manusque gentis. Sic suprà Annal. I, 61. Prima Vari castra, lato ambitu, & dimensis principiis, trium legionum manus ostentabant.

Trajanī consulatum. Nerva Augustus IV, Trajanus II consules fuere anno Urbis conditæ CCCLI. Quo anno aureum hunc de moribus Germanorum librum scripsit Tacitus.

Non Samnis, non Pœni. Hac de re jam dictum suprà Annal. XI, 24, & XV, 13.

Admonuere. Optimè dictum. Admonuere belli & periculi. Hoc sensu admonere, donner l'alarme, dicimus. Nonnullis tamen placet, admovere, ut est in Ms. Turic. id est, admovere exercitum.

Regno Arsacis. Germanorum libertas acrior opibus regnoque Arsacidarum, seu Parthorum.

Acrior est Germanorum libertas. Egregia dignaque prudentissimo scriptore sententia, nec nobis silenda. In eâ enim reconditum est magnum politicæ artis arcanum, Germanicæque gloriæ, quæ nostra quoque est, fundamentum ac munimentum.

De Germanorum libertate, Romanorum æmulâ & victrice.

NON Samnitum artes, non Græcorum ingenia, non Pœnorum commercia, non Hispaniarum fortitudo, non Galliarum impetus, valida fuere adversùs Romanam dominandi scientiam præsidia: cessere, & in partem dominationis venere. Diutiùs restitit Parthorum potentia, terrarum longinuitate & immensarum opum multitudine defensa: sed & ipsa paruit, superbisque cervices jugo Romano supposuit.

Acrior fuit Germanorum libertas. Romana vigebat respublica, cùm victrice Cimbrorum arma, fusq;

Aiso Papirio Carbone consule, primum audita sunt anno Urbis conditæ DCXLI, ante Christum 113. Inde, per quingentos & amplius annos, mutuis victoriis, mutuis cladibus certatum. At Germania, cum vinceretur, semper interrita; cum vinceret audacior. Et, dum libertatem suam pervicaciis propugnat, eò tandem gloriæ venit anno Urbis conditæ M CLXIII, Jesu Christi 410, ut Alaricus, Gothorum rex, Romam captam viator intraret, ejusque opes potiretur, longè dissimilis ignavo illi Domitiano, qui pudendo falsoque triumpho Germaniam captam erat gloriatus.

Manebat adhuc Cæsarum dignitas, olim verenda, nunc despicatissima: magis etiam ac magis in dies libidinibus ac dissensionibus fatiscebat, cum feralis tandem cœpit annus Urbis conditæ M CCXXIX, Jesu Christi 476, quo Germania non jam armis belloque, sed solo nominis sui terrore victrix, Cæsarum nomen extinxit; eosque Odoacer, Herulorum rex, non tam irâ suâ, quam miseratione dignos reputans, Augustulum, Cæsarum supremum, in Lucullanum Campaniæ castellum, nunc *le château de l'œuf à Naples*, relegavit. Sic imperio Romano vel suâ in ruinâ defuit illa claritas, quâ vulgo cadunt imperia; ultimusque ejus Princeps vixit suæ dignitati suoque imperio superstes.

In hac fœditate sordebat Italia, cum tandem melioribus diuturnioribusque auspiciis, anno Jesu Christi 800, imperium restituit Germanoru[m] sanguis Francorumque decus CAROLVS MAGNVS, PIVS FELIX AVGVSTVS. Tantæ gloriæ fundamenta posuerat Clodoveus Magnus viator fortissimus.

Quibus autem virtutibus, quâ consiliorum vi facta sit tanta rerum mutatio juvat ex ipsâ victrice gente discere, quæ sine verborum lenociniis suæ gloriæ causas & instrumenta nobiliter explicavit

in præfatione Legis Salicæ : illam sub omnium oculis subjici tanto gratius esse debet, quanto rarius est præstantissimum illud antiquitatis monumentum ab ipsis viris historiæ eruditissime curiosis legi aut inspici. Gens Francorum inclyta, auctore Deo condita, fortis in armis, firma pacis fædere, profunda in consilio, corpore nobilis & in columnis, candore & formâ egregia, audax, velox & aspera, nuper ad Catholicam fidem conversa, immunis ab hæresi. Dum adhuc teneretur barbarie, inspirante Deo inquirens scientiæ clavem, juxta morem suarum qualitatum desiderans iustitiam, custodiens pietatem, dictaverunt Salicam Legem proceres ipsius gentis, qui tunc temporis apud eandem erant rectores... At ubi, Deo favente, Clodoveus comatus & pulcher, & inclytus rex Francorum primus, recepit Catholicum baptismum, quidquid minus in Pacto habebatur idoneum, per præcelsos reges Clodoveum, Childebertum & Hlotarium fuit lucidiùs emendatum, & procuratum Decretum hoc. Vivat, qui Francos diligit Christus, eorum regnum custodiat, & rectores de lumine suæ gratiæ replete, exercitum protegat, fidei monumenta tribuat, pacis gaudia & felicitatem, tempora dominantium dominus Christus Jesus pietate conducat. Hæc est enim gens, quæ fortis dum esset & robore valida, Romanorum jugum durissimum de suis cervicibus excusſit pugnando; atque post agnitionem baptis- mi, sanctorum Martyrum corpora, quæ Romani igne cremaverunt, vel ferro trucidaverunt, truncaverunt, aut bestiis laceranda projecerunt, sumptuosè auro & lapidibus pretiosis exornavit.

Tacitus in aureo libello qui fuerint ætate suâ Germâni, quam formidanda esset eorum libertas prodidit. Quales fuerint post ejus ætatem, quantoque præstiterint ex hac præfatione brevissimè

intelligimus. Crescat duretque in omnibus Germanicæ originis gentibus virtutis ac gloriæ perennitas.

Cædem Crassi. De cæde Crassi dictum supra Annal. II, 2. Vide & Canonem Regum Parthorum, Tom. I, pag. 328.

Pacoro. Pacorus, Orodis Parthorum regis filius, a Ventidio, Romanorum legato, interfectus.

Infra Ventidium. Cùm P. Decidius Saxa, Syriæ legatus, a Parthis fuisse vicitus, Syriamque occupasset Pacorus, missus est P. Ventidius Bassus, qui Parthos debellavit, Pacorum interfecit, remque Romanam penitus restituit. Vide Florum IV, 9. & Tacit. Hist. V, 9. Obscuro quidem loco natus erat Ventidius, ἐνὶ τοιούτος μὲν ἀφανής. Obscuritatem suam militari gloriâ illustravit & nobilitavit. Primus, solusque ante Trajanum, de Parthis triumphavit. Plutarch. in M. Anton. pag. 931.

At Germani Carbone. Anno Urbis conditæ DCXLI, Cimbri, gens vaga, populabundi in Illyricum venerunt; ab iis Papirius Carbo consul cum exercitu fusus est. Livius in Epitome LXIII. Ad Noreiam, Tauriscorum urbem, prope Aquileiam, Aquilée, vicitus est Carbo, teste Strabone, libr. V, pag. 214. Annis sequentibus, Cimbri Teutonique Galliam depopulati sunt, magnamque calamitatem intulere; at invictâ Gallorum constantiâ deterriti, alias terras petiere, ut videre est apud Jul. Cæsarem, Bell. Gall. VII, 77. Tum in Italiam venere, legatosque ad senatum miserunt, qui agros, quibus considerent, postularent. Quod cùm negasset senatus, adversum eos infeliciter pugnavit M. Junius Silanus consul, anno Urbis conditæ DCXLV. Livius in Epitome LXV.

Et Cassio. Is L. Cassius, consul anno Urbis

conditæ DCXLVII, a Tigurinis Gallis, pago Helvetiorum, nunc les cantons de Zurich, Appenzell, Schaffhouse, &c. qui a civitate secesserant, in finibus Allobrogum, cum exercitu cœsus est. Milites qui ex eâ clade superaverunt, obsidibus datis, & dimidiâ rerum omnium parte, ut incolumes ditterentur, cum hostibus pauci sunt. Livius in Epitome LXV. Immo Romanum exercitum sub jugum a Tigurinis missum docet Jul. Cæsar, Bell. Gall. I, 12. Hic pagus unus cum domo exisset, patrum nostrorum memoriam L. Cassium consulem interfecerat, & ejus exercitum sub jugum miserat,

Scauro Aurelio. M. Aurelius Scaurus, legatus consulis (immo consul anno Urbis conditæ DCXLVI) a Cimbris, fuso exercitu, captus est, & cum, in consilium ab iis evocatus, deterreret eos, ne Alpes transirent Italiam petituri, eò quod diceret Romanos vinci non posse, a Boorige, feroci juvene, occisus est. Livius in Epitome LXVII. Vide & Plutarchum in Mario pag. 419, & Velleium Paternulum II, 12.

Servilio Cæpione, Cn. quoque Manlio. Utramque cladem distinxit quoque Florus III, 3. Nec primum impetum barbarorum Silanus, nec secundum Manlius, nec tertium Cæpio sustinere potuerunt. Utramque conjungit Livius in Epitome LXVII. Ab iisdem hostibus (Cimbris) Cn. Manlius, consul, & Q. Servilius Cæpio, proconsul, vieti prælio, castris quoque binis exuti sunt. Fusiūs Paulus Orosius V, 16. Manlius consul, & Q. Cæpio, proconsul, adversus Cimbros & Teutones, & Tigurinos & Ambronas, Gallorum & Germanorum gentes, quæ tunc ut imperium Romanum extinguerent, conspiraverant, missi provincias sibi Rhodano, le Rhône, fluvio medio diviserunt. Ubi dum inter se gravissimè invidiâ & contentione disceptant, cum magnâ ignominiâ & periculo Romani

nominis vieti sunt. . . . Octoginta millia Romano-rum, sociorumque, eâdem tempestate trucidata, Antias scribit. Cùm Cæpio hujus cladis causa fuisset, secundum populi Romani iussionem, Cæpionis, cuius temeritate clades accepta erat, damnati, bona publicata sunt. Dies, quo hæc clades contigit anno Urbis conditæ DCXLIX, inter nefastos relatus est, teste Plutarcho in Lucullo, pag. 510. Uno antè anno Cæpio consul, direptâ Tolosâ, nunc Toulouse, abstulerat argenti pondo centum decem millia, Gallicæ monetæ libras 7,189,875, auri pondo quindecies decies centum millia. At error est in auri numero. Immanis enim summa. Emendandum puto auri pondo quindecim millia, Gallicæ monetæ libras 14,175,000. Justin. XXXII, 3.

Populo Romano. Vigente republicâ.

Cæsari abstulerunt. Cæsari Augusto: quâ clade adeo consternatum eum fuisse ferunt, ut per continuos menses barbâ capilloque summissâ, caput interdum foribus illideret, vociferans: Quinctili Vare, legiones redde: diemque cladis quotannis mœstum habuerit ac lugubrem, Sueton. in Aug. XXIII. De hac Varianâ clade dictum satis Annal. I, 10 & 61.

C. Marius. Tot cladibus acceptis, populus Romanus non alium repellendis tantis hostibus magis idoneum imperatorem, quam Marium esse ratus. Nec falsa fuit spes publica. Quarto suo consulatu, anno Urbis conditæ DCII, Marius trans Alpes circa Aquas Sextias, nunc Aix en Provence, cum Teutonis confixit; amplius cæ millibus hostium priore ac postero die trucidatis, gensque excisa Teutonum, Velleius Paterculus II, 12. Vide & Livium in Epitome LXVIII, qui ait cæsa hostium ducenta millia, capta nonaginta. Quinto autem suo consulatu anno Urbis conditæ

DCLIII, Cimbros in Italiâ, transgressos Athesim; l'Adige, in campo Raudio, ubi nunc Rubio, vicit, cœsa aut capta amplius cæt hominum, Velleius Paterculus II, 12. At non impunè victor fuit Marius, ut constat ex immensis belli apparatibus, quos vide apud Plutarchum in Mario. Nec adversis Cimbros tantum, sed & adversis eorum conjuges fuit pugnandum. Unde Florus III, 3. Nec minor cum uxoribus eorum pugna, quam cum ipsis fuit: cum, objecdis undique plaustris atque carpentis, altæ desuper, quasi e turribus, lanceis contisque pugnarent. Perinde speciosa mors earum fuit, quam pugna. Nam cum, missâ ad Marium legatione, libertatem ac sacerdotium Vestalium non impetrassent, (nec fas erat) suffocatis elisque passim infantibus suis, aut mutuis concidere vulneribus, aut vinculo e crinitibus suis facto ab arboribus jugisque pependerunt. Boiorix rex in acie dimicans impigre nec inultus occubuit. Ob tantas victorias anno Urbis conditæ DCLII, juxta Fastos Capitolinos, c. MARIVS. c. FILIVS. CONSVL. V. DE. TEVTONEIS. AMBRO-
NIBVS. ET CIMBREIS triumphavit.

Divus Julius. Julius Cæsar Ariovistum, Germanorum regem, prope Dampierre dans la Franche Comté vicit, fusosque Germanos ingenti strage triginta millia quingentos passus usque ad Rhenum insecurus est, totumque hunc campum cadaveribus ac spoliis complevit anno U. C. DCXCVI. Jul. Cæs. Bell. Gall. I, 33 & 52, & Plutarch. in Cæsare, pag. 675. Ante a Julio Cæsare multati fuerant Tigurini, qui olim L. Cassium, ut suprà dictum est, interfecerant, Romanumque exercitum sub jugum miserant. Vide Jul. Cæs. Bell. Gall. I, 12.

Drusus ac Nero & Germanicus. Nero Claudius Drusus, qui ob res in Germaniâ præclarè gestas

sibi suisque Germanici cognomen meruit. Vide Stemma Cæsarum, num. 79. Neronis, id est, Tiberii, ab Augusto in Germaniam missi, & Germanici operosas victorias vidimus in libris Annalium I & II. Vide quoque Stemma Cæsarum, num. 68 & 81.

C. Cæsar. Caii Caligulæ. Minas ejus in Iudibrium versas diximus in Supplemento Annalium VIII, 23.

Legionum hibernis. In bello Civilis, de quo dictum satis suprà Hist. IV & V.

Triumphati magis. A Domitiano, ut dicetur infrà in Vitâ Agricolæ cap. XXXIX.

CAP. XXXVIII. De Suevis. Suevi immensum terrarum tractum inter Albim, l'Elbe, Vistulam, la Vistule, Oceanum, la mer Baltique, & Danubium, le Danube, obtinebant. Latius adhuc olim habitavere, & usque ad Rhenum tenuere. Inde Strabo, Julius Cæsar, Florus, Ptolemæus aliquie ad Suevos referunt, quæ ad Cattos pertinent.

Propriis adhuc nationibus. De quibus mox dicetur usque ad caput XLV.

Obliquare crinem. Suevi crinem non spargebant, ut solent barbari, sed obliquabant, & intortum in occipite nodo substringebant.

A ceteris Germanis. Ergo ceteri Germani non obliquabant crinem; eum tamen in nodum pluresque cirros cogebant. Unde Seneca de Irâ III, 26. *Crinis rufus & in nodum coactus apud Germanos.* Et Martialis, in spectaculorum libro, carni. 3, vers. 9.

Crinibus in nodum tortis venere Sicambri.

A servis separantur. Apud Suevos, ut apud ceteros Germanos, tonsi videntur fuisse servi;

272 IN LIBRUM DE MORIBUS

aut saltem ita fuere decurtati , ut obliquare crinem , nodoque substringere non potuerint.

Ornatiorem habent. Capillum , non retro & in occipite , sed in solo vertice , religatum , principes ornatiorem habent.

Ut hostium oculis. Non ornantur ut ament amenturve , sed ut hostium oculis terribiliores videantur , crinibus in hanc altitudinem terroremque comptis.

CAP. XXXIX. Semnones. Utramque Viadri , l'Oder , ripam , nunc partie de la Poméranie , de la Marche de Brandebourg , & de la Lusace , tenuere Semnones. Vetereim Semnonum gloriam factis scriptisque illustravit , magisque ac magis in dies illustrat Fredericus III , Prussiae rex , quem appellasse , laudasse est. Vide Mémoires pour servir à l'Histoire de la Maison de Brandebourg , pag. 292.

Auguriis patrum. Ex imitatione Virgilianâ aut ex veteri aliquo poetâ , versus :

Auguriis patrum & priscâ formidine sacram.

Regnator omnium Deus. Hæc est prima hominum fides , REGNATOR OMNIUM DEUS , cui cetera subjecta sunt atque parentia. Quò antiquiora sunt & sinceriora gentium monumenta , eò illustrior effulget divinitatis veneratio , maximè apud Scythes , quorum propago erant Germani. At a puro simplicique cultu ita degeneraverant Semnones , ut & secreto silvæ , de quo jam suprà cap. 9 , & cæso homine , barbarè supplicarent.

Centum pagis. Ne existimes fuisse vicos , des Villages , sed pagos , des Cantons. Vide quæ notata sunt suprà cap. 6.

CAP. XL. Langobardos. Augusti principatu

Langobardi cis Albim, inter Lunebourg & Magdebourg, habitavere. A Tiberio victi, & trans Albim pulsi, Strabo VII, pag. 290. Velleius Patercul. II, 106. Sueton. in Aug. XXI, loca illa tenuere, ubi nunc Prignitz, Ruppin & partie de la moyenne Marche. Postea regnum Langobardicum in Italiâ condiderunt, quod, capto rege Desiderio, subactâque Italiâ, a Carolo Magno excisum est anno Jesu Christi 774. Exstant adhuc leges Langobardorum apud Lindenbrogium. Burgundiones hic omisit Tacitus, quod tunc sanè parva fuerit eorum civitas. Postea cum Langobardis Decumates agros limitemque Romanum insedere. Inde in Galliam erupere, easque terras occupavere, quas de eorum nomine adhuc dicimus les Duché & Comté de Bourgogne. Exstant quoque Burgundionum leges, quas vide apud Lindenbrogium.

Reudigni. Ex Taciti descriptione Langobardis vicini fuere Reudigni; ergo ibi habitavere, ubi nunc partie des Duchés de Mecklenbourg & de Lawenbourg. Antea cis Albim habitavere, ubi est sabuletum Luneburgicum, les landes de Lunebourg. Inde fortè nomen traxere, ut vult eruditus Eccardus, de Rebus Franciæ Orientalis, Tom. I, pag. 3.

Aviones. Fortè iidem sunt, quos Mamertinus in Panegyrico Maximiani, cap. 5, Chaibones appellat: Langobardis & Reudignis quoque proximi, nunc partie du Duché de Mecklenbourg. Antè cis Albim ripas amnis Ilmenaviae Luneburgici tenuere. Amnis ille ex eorum nomine incolis adhuc dicitur Ava, teste erudito Eccardo, loc. cit.

Angli. Nunc partie du Holstein & de Sleswick. Ibi adhuc est regio Angeln, inter Flensborg & Sleswick. Sæculo post Christum natum quinto,

Angli, comitibus Saxonibus, in Britanniam immigravere, nomenque Angliæ dedere; quo uno facto perennitati suæ melius, quam Suevi Cimbrique consuluere.

Varini. Nunc la partie Orientale du Mecklenbourg, circa ripas amnis Varnæ, occupavere. Ibi adhuc oppidulum Waren, ad lacum Muritz situm. Exstant leges veteres, quæ Anglis & Varinis communes fuere. Eas vide apud Lindenbrogium & Cl. Leibnitium, *Scriptores rerum Brunsvicensium*, Tom. I, pag. 81.

Eudoses. Ex Taciti descriptione, aliorumque populorum situ, patet Eudoses fuisse, ubi nunc Wismar & Rostok: Suardones ubi nunc Stralsund, la Poméranie Suédoise, & partie de la Poméranie citérieure. Nuithones, ubi nunc partie de la Poméranie citérieure & de la Marche Uckerane. Eos tamen multò latius habitasse existimat eruditus Eccardus, loc. cit. Eudoses enim ad Viadrum, l'Oder, Suardones ad Wartam, la Warte, Nuithones ad Netzam, la Netze, diffundit.

Herthum. Manet adhuc Germanis vetus nomen; terraque appellatur Erde. Multi pronuntiant Erdt. Quod nonnihil affinitatis habet cum Hebraicâ appellatione יְרָאָה. Invaluit autem apud omnes ferme populos hæc superstatio, ut terram colerent. Apud ipsos Romanos, Sempronius, domitis Picentibus, Tellurem deam promissâ æde placavit. Florus I, 19.

In insula. Insula hæc multis videtur esse ea, quæ nunc dicitur l'isle de Rugen, dans la mer Baltique. At, ut probabilius, alia est insula, Albis ostio proxima, quæ dicitur l'isle de Helgeland, vel Heiligeland, id est, l'isle Sainte, près de l'embouchure de l'Elbe. Id enim magis convenit cum veteribus Langobardorum, Reudingorum, Avionumque sedibus.

Castum nemus. Nemus sanctum & numquam violatum, Terræ deæ sacrum. *Castum insititum esse*, & a margine irrepsisse putat Cl. Ernestus. Alii tentant, *sacrum* vel *vastum* nemus. Fortè Tacitus nemus illud castum dixit, quasi Terræ deæ sacrum. Castum enim de Cibeles religionibus propriè dicebatur. Sic Tertullianus, *de Jejuniis*, cap. 16, *Casto Iidis & Cibeles eas* '(nostras xerophagias) *adæquas*.

Penetrali. Dicato nempe vehiculo.

Læti tunc dies. Olaus Rudbeckius, vir eruditus, sed opiniosissimus, qui Germaniam omnem in suam Scandinaviam transtulit, contendit festum illud brumâ fuisse celebratum, manereque adhuc, & dici *Julifred*, seu pacem *Juliam*, Rudbeck. *Atlantica*, I, 24. At festum illud *Juul*, non in Terræ, sed in Solis, quem *Thor*, aut *Taranim*, dicebant, honorem agebatur. Seriùs menseque Februario colebatur Terra; ut videre est apud Cl. Mallet, *Introduction à l'Histoire de Danne-marck*, pag. 81 & seq.

Templo reddat. Templo, id est, sacro nemori; ut meritò observat Cl. Ernestus.

Numen ipsum. Vehiculum deæ, quam mortaliū conversatione födatam opinantur.

Lacus haurit. In lacum detrusos, ne vana sacra revelarent.

CAP. XLI. *Hermundurorum civitas.* Populos illos a virtute, *Heermanner*, & a Romanis Hermunduros dictos volunt. Inter Albim, *l'Elbe*, Salam, *la riviere de Sala*, & Boiemum, *la Bohême*, ubi nunc *Anhalt*, *Woigtland*, *la Saxe*, partie de *la Misnie* & de *la Franconie*, habitare. Deinde cùm Marcomanni, Boiis a Marboduo pulsis, Boiemum occupassent, ipsi Marcomannorum sedes sedibus suis addidere, hucque

nomen Suevorum intulere, unde regionem hanc adhuc dicimus *la Suabe*.

Fida Romanis. Tunc fida; postea cum Marcomannis aliisque Germanis adversus Romanos, M. Aurelii, qui eos vicit, principatu, conspirare. Vide Capitolin. in Marc. Aurel. XXII.

Colonia. Augusta Vindelicorum, nunc *Ausbourg*, splendidissima colonia provinciae Ratiæ, cuius tunc pars erat Vindelia.

Sine custode. Ob pacem & societatem cum Romanis incustoditi erant transitus & sine pretio. Vide suprà Hist. IV, 65.

Non concupiscentibus. Has opes Romanorum atque delicias non concupiscebant Hermunduri, suis contenti.

Albis oritur. Hic errat graviter Tacitus, si fontem Egræ, l'Eger, qui in Hermunduris oritur, cum fonte Albis, l'Elbe, qui erat apud Marcomannos in Boiemo, la Bohême, confuderit. Inlytum quidem olim ac notum Albis flumen Drusi, Tiberii, Domitii victoriis; at, diu in hoc Germaniae penetrali silentibus bellis, Romæ tantum famâ audiebatur. Inde in signando Albis fonte Geographicas Romanorum tabulas minimè accuratas fuisse videtur. Fortè tamen Hermunduri, cum in exercitu Marobodui militassent, sedes accepere in eâ parte Boemi, in quâ Albis oritur. Tunc nullus foret Taciti error, ut videre est apud eruditum Eccardum, *de Rebus Franciæ Orientalis*, Tom. I, pag. 7.

Tantum auditur. Olim, vietricibus Romanorum armis, notum: nunc, præpotentibus Germanorum rebus, famâ tantum auditur. Vide suprà Annal. IV, 44.

CAP. XLII. *Narisci.* Inter Hermunduros & Marcomannos fuere Narisci, ubi nunc partie de-

la Baviere entre la Bohême & le Danube.

Marcomanni. Nunc la Bohême.

Et Quadi. Quadi, nunc la Moravie, & partie de l'Autriche entre le Danube & la Moravie. De Quadis, Valentiniani & Valentis ætate, Annianus Marcellinus XXIX, 15. Quadorum natio motu est excita repentina, parum nunc formidanda, sed immensum quantum antehac bellatrix & potens, ut indicant perpetrata.

Boiis. Qui eas regiones olim tenuere, & Boiemo nomen indidere, ut dictum est suprà cap. 28. Marcomanni, antequam Boios pellerent, haud procul fontibus Danubii habitavere, ubi nunc le Duché de Wirtemberg; & quòd Germaniæ limitem incolerent, dictos fuisse Marcmanner, a voce Marc, quæ limitem significat, rectè opinatur Cl. Dithmarus. Haud ita probabiliter Cl. Leibnitius vult Marcomannos Moraviam, la Moravie, nondum pulsis Boiis, incoluisse, & a Marcâ fluvio nomen duxisse.

Degenerant. Inde Marcomannorum, Nariscorum, Quadorum aliorumque sociorum gravissimum adversùs Romanos exarsit bellum, M. Aurelio Principe. Quantum in discriben M. Aurelium Romanumque exercitum Quadi adduxerint, docet Dio LXXI, pag. 805 & seq.

Marobodui. De Maroboduo actum suprà Annal. II, 46 & 62.

Auctoritate Romana. Sic Vannium regem, a Romanis datum, vidimus suprà Annal. II, 63. & XII, 29. Furtium quoque, regem, Quadis postea dedit Antoninus Pius, ut testatur ejus numimus apud Cl. Spanhemium, de Præstantiâ & Usu Numismatum, Tom. II, pag. 582. ANTONINVS PIVS AVGVSTVS, capite laureato. In adversâ parte, duo homines stantes. REX QVADIS DATVS. Furtium cum ejecissent

Quadi, Ariogæsum regem sibi constituere, quæ M. Aurelius, Ariogæso infensus, confirmare noluit. Vide Dionem LXXI, pag. 808. Tanta autem erat hac in re auctoritas Romana, ut Quadi, amissæ rege suo, non prius se confirmaturos eum qui erat creatus, dicerent, quam id nostris placueret Imperatoribus. Capitolinus in M. Antonino cap. 14.

CAP. XLIII. Marsigni. Nunc Glatz, Jagendorf, & partie de la Silésie.

Gothini. Nunc partie de la Silésie & de la Hongrie, infra Marsignos.

Osi. Infra Gothinos Osi, nunc partie de la Hongrie jusqu'au Danube.

Burii. Ultra Gothinos Burii, ad Carpatem montem & Vistulæ fontes, le mont Krapak & les sources de la Vistule.

Cultuque. Quem vidimus suprà cap. 38. Præterea videtur Suevos sermone, aut potius dialecto, a ceteris Germanis fuisse distinctos.

Ferrum effodiunt. In ferri fodinis, quas obtinebant Quadi, teste Ptolemæo II, 11. Υπὸ εἰς τὸν Ὀρκύνιον ἀρυμὸν Κέαδος· ὑφ' ἃς τὰ συδηρωρυχεῖα, οἵτινες οἱ Λέγναι οὐλαι. Sub silvâ Hercyniâ Quadi: sub quibus ferri fodinæ, & Luna silva.

Continuum montium jugum. Nunc les montagnes entre la Moravie, la Hongrie, la Silésie, la Bohême.

Lygiorum. Lygii, nunc partie de la Silésie, de la nouvelle Marche, de la Prusse & de la Pologne en-deçà de la Vistule. Jam memorati sunt suprà Annal. XII, 29.

Arios. Arii, Helvecones, Manimi, Elysii; Naharvali habitavere inter Viadrum, l'Oder, & Vistulam, la Vistule, ubi nunc partie de la Silésie, du Brandebourg & de la Pologne. Forte

ab Ariis genus ducebat, Ariogæsus, Quadorum rex, de quo dictum suprà pag. 278. Ab Elysiis Silesiæ, *la Silesie*, nomen ortum volunt. Helvecones prorsus diversi sunt ab Hillelionibus; de quibus dicetur infrà cap. 44, not. 1.

Castorem Pollucemque. Apud Romanos Castor & Pollux in tempestatibus invocabantur. Inde Seneca, *Natural. Quæstion. I, 1.* *In magnâ tempestate apparent, quasi stellæ velo insidentes. Adjuvari se tunc periclitantes existimant Pollucis & Castoris numine.*

Ea vis numini. In stellis, quas vulgò diciimus *les feux follets, le feu Saint-Elme*, Castorem & Pollucem venerabantur Romani; ut videre est apud Plinium II, 37. Numen quoque suum in his fatuis ignibus coluisse videntur Naharvali, Illud *Alcin* dixerunt, fortè a vocabulis *Alff, Alp*, quibus adhuc Genios montium appellant Septentrionales populi, teste erudito Keyffero, in Antiquitatibus Celticis, pag. 500. Verùm cùm sine ulla simulacris, sine ullo peregrinæ superstitionis vestigio, deos illos, ut fratres, ut juvenes venerarentur Naharvali, minimè crediderim eos fuisse Castorem & Pollucem, Græca Romanave numina. In iis potius agnoverim Canadensium deos *Napinoukheth & Pepounoukheth*, quos inter ita divisum orbis imperium, ut hic veris & æstatis, ille hiemis sit præses. Alternis temporum vices regunt, & hominum fata moderantur. Vide Creuxium, *Historia Canadensis*, pag. 81. Huc quoque referenda videntur Sarmatarum numina, *Lebus & Polebus*, quorum memoria adhuc manet in conviviis Polonicis. Diodorus Siculus IV, 56, pag. 180. Dioscuros, seu Castorem & Pollucem, a Celtis, Oceani accolis, cultos memorat. Sed isti populi sunt a Naharvalis diversi.

Tincta corpora. Id olim in usu apud gentes

plurimas. Idem adhuc viget apud multos Americæ populos. Quidam etiam corporibus suis notas inscribebant. Unde Plinius XXII, 1. *Formæ gratiâ ritusque perpetui, in corporibus suis aliquas exterarum gentium uti herbis quibusdam; adverto animum. Illinunt certè aliis aliæ faciem in populis Barbarorum feminæ, maresque etiam apud Dacos & Sarmatas corpora sua inscribunt.* Tales corporum picturas, a Canadensibus, ut truculentiores videantur, usurpatas, exhibet P. Creuxius, *Historia Canadensis*, pag. 70. Si de hoc usu plura volueris, adi eruditum Pelloutier, *Histoire des Celtes*, Tom. I, pag. 290 & seqq.

Gothones. Supra memoratos populos erant Gothones, ubi nunc *la Poméranie ultérieure*; *la nouvelle Marche*, *la partie Occidentale de la Pologne entre l'Oder & la Vistule*. Diversi sunt a Gothis, de quibus mox dicemus, sed fortè cum iis arma sociavere.

Rugii. Protinus ab Oceano Baltico; *la mer Baltique*, erant Rugii, ubi nunc *Colberg*, *la Cassubie*, *la Poméranie ultérieure*: ibi adhuc oppidum *Rugenwald*. In ipso mari memoriam eorum retinet insula *Rugen*.

Lemovii. Mare Balticum accolabant quoque Lemovii, ubi nunc *Stolpe*, *Lavenburg*, *Dantzig*. Lemoviorum sedes postea occupasse videntur Heruli. Nulla enim deinde Lemoviorum memoria, frequens verò Herulorum, & per Europam & Asiam gloria ingens: primi etiam Germanorum sub Odoacro regnum in Italiâ condidere.

Suionum. Suiones, nunc *la Suede*, *les isles de Dannemarck*, *Funen*, *Langland*, *Zééland*, *Laland*, &c. E Suionibus Cimbrisque emersere Normanni, qui latè terrorem circumtulere, & opimam Galliæ provinciam, de eorum nomine adhuc appellatam *la Normandie*, occupavere.

Majus adhuc & audentius Gothorum, Wisigothorum, Ostrogothorum nomen. Ii sunt, qui imperium Romanum perdidere, & Romanam tam diu invictam, & aeternitatis spe vanam, cepere. Exstant adhuc Wisigothorum leges, sed a solitâ Germanicarum legum simplicitate alienæ.

CAP. XLIV. *Ipsò in Oceano.* Romani, quibus nondum satis comperta erat hæc terrarum pars, hic finxere insularum immensa spatiæ, ut vidimus suprà cap. i. Unde & Plinius IV, 13, ait: *Cordanus sinus, nunc la mer Baltique, refertus insulis, quarum clarissima Scandinavia, hodie læ Suede, la Norwege, est incomptœ magnitudinis, portionem tantùm ejus, quod sit notum, Hillevionum gente quingentis incolente pagis, quæ alterum orbem terrarum eam appellat. Hillevionum memoria adhuc manet in eâ Sueciæ parte, quæ dicitur Halland.*

Classibus valent. Atque ita valuere, ut penes eos sit gloria juris nautici, cuius leges undecimo post Christum natum sæculo primum scriptæ sunt in urbe *Wisby*; quæ urbs princeps est insulæ *Gothland*. Unde illa insula meritò appellatur *Oculus maris Baltici*.

Forma navium. Quæ *Suionum*, eadem adhuc est *Canadensium* navibus, *les canots*, forma. Utrumque prora paratam appulsui frontem agit. At *Canadensium* naves sine velis, & cum velis aguntur. Vide P. de Charlevoix, *Lettre XII*, pag. 192.

Velis ministrantur. Melius *ministrant*. Notum enim illud *Virgilii*,

Velisque ministrant.

Nec aliter *Lucanus III, 691.*

Tela legunt dejecta mari, ratibusque ministrant;

Opibus honos. Opulentissimum Suionum templum memorat Adamus Bremensis, Hist. Eccl. cap. 233. Nobilissimum illa gens templum habet, quod Ubsola, nunc Upsal, dicitur, non longe a Sictonâ civitate, nunc Sigtuna, & Bircâ, nunc Bioerkoe. In hoc templo, quod totum auro paramatum est, statuas trium deorum veneratur populus, ita ut potentissimus eorum Thor in medio solum habeat triclinium: hinc & inde locum possident Wôdan & Fricco. E ruderibus urbiū Sictonæ & Bircæ exsurrexit urbs regni princeps, Stockholm. Nobile autem exemplum, ibi semper fuisse opes, ubi viguit nautica res.

Exceptionibus. Ibi suprema regum potestas: nullæ legum, nullæ libertatis exceptiones. Unde Cl. Spener, *Notitia Germaniæ antiquæ*, V, 7, pag. 177, rectè existimat apud Suionas regnum fuisse jure hereditario, non verò datum populi electione. Nam jus parendi precarium vix non semper regis sequitur electionem.

Servo. Ibi enim servi supra ingenuos, supra nobiles ascendebant. Vide suprà cap. 25.

CAP. XLV. *Aliud mare.* Quod vulgo dicimus *la mer Glaciale*. Præter quām quod Borealis pars sinusque maris Suevici, *la partie Septentrionale de la mer Baltique & les Golfes de Finlande & de Bothnie*, quotannis frigore & glacie ita rigeant, ut sine maximis difficultatibus, teste erudito Rudbeckio, *Atlantica*, pag. 323, navibus adiri non possint; Suionibus, qui classibus valebant, compertum quoque fuit mare glaciale, quod, ultra gradum 81, æstate vel hieme, nullas naves admittit. Vide eumdem Rudbeckium, loc. cit. pag. 359.

Hinc fides. Parum appositè ad astronomicas rationes. In his enim terrarum finibus extremis

cadentis Solis fulgor usque in ortus, vel in ortum, edurat, non quod ibi sit naturæ terminus, sed quod terræ ibi protendantur ad gradum 72, ac proinde ultra circulum polarem Arcticum, sub quo, vi Solaris cursus, viginti quatuor horas lucebit. Hac de re si plura volueris, vide eruditum Varenium, *Geographia generalis*, II, 25.

Emergentis. Melius *immergentis*, vel *se mergentis*. Ni fortè *emergentis* redundet: abest enim a Ms. Turic. & editionibus veteribus.

Audiri. Ut ferrum candens, sic Solem stridendo aquas subire opinabantur. Unde Juvenalis, *Satyræ* XIV, 280.

Audiet Herculeo stridentem gurgite Solem.

Idque vulgare apud poetas, cum occasum Solis describunt.

Formasque deorum. Melius *formasque equorum*: ni fortè *formas deorum* accipias de Neptuno aliisque marinis deis Solem excipientibus.

Tantum natura. Ita de Oceano Indico Quintus Curtius IX, 9, ait *ne naturam quidem longius posse procedere*. Nunc verò fama illa non est vera: ultra terras Suionibus habitatas cognitasve, novæ innouere terræ, *le Spitzberg*, *la Groenlande*, &c. necdum tota patet natura. Utinam auspicatis tot gentium, nauticâ arte celeberrimarum, navigationibus aliquando pateat! Qui enim naturæ intima scrutabimur, si ne extima quidem cognoverimus?

Suevici maris. Nunc *la mer Baltique*.

Æstiorum gentes. Nunc *le Royaume de Prusse*, *les duchés de Samogitie*, *de Curlande*, *le Palatinat de Livonie* & *l'Éstonie*, in cuius nomine exstat veteris nominis memoria. Vide inter Testimonia Veterum epistolam, quam de succino & hoc Taciti loco ad Æstios scripsit Theodoricus rex.

Suevorum. De quibus supra cap. 38.

Britannicæ propior. Quòd Aëstii, in extremis Germaniæ finibus positi, linguam Scythico-Celticam, quæ apud Britanos diu viguit, retinerent; ut recte observat Cl. Dithmarus.

Matrem Deum. Quæ Frea, aut Fricco, dicebatur: numen Scythicæ originis, de quo dictum supra cap. 40. Vide & Cl. Mallet, *Introduction à l'Histoire de Dannemarck*, pag. 56 & seqq.

Formas aprorum. Manent adhuc hujus superstitionis multa vestigia in Sueciâ, *la Suede*. Rustici, illo ipso tempore quo sacrum Freæ mense Februario olim peragebatur, panem formâ verris, in multos superstitiones usus paratum componunt. Quod vide apud eruditum Eccardum, *de Rebus Franciæ Orientalis*, Tom. I, pag. 409.

Inter hostes præstat. Tanta vanæ religionis fiducia.

Patientius. Quòd non, ut ceteri Germani, ita vagi bellisque dediti, sed loci necessitate in iisdem terris consisterent.

Soli omnium. Nunc verò & alii aliisque in terris succinum legunt: sed semper vis maxima & optima in Aëstiorum litoribus.

Succinum. Quod Gallicè dicimus, *l'Ambre jaune*.

Glesum. Sic adhuc vitrum, quòd pellucidum sit, a Germanis *Glas* appellatur. Plinius autem XXXVIII, 3. Certum est succinum gigni in insulis Septentrionalis Oceani, & a Germanis appellari *glessum*: itaque & a nostris unam insularum ob id *Glessarium* appellatam, Germanico Cæsare ibi classibus rem gerente, *Austraviam* a barbaris diætam. Ibi multa de succino. Quæ inter, memorat Plinius maximum pondus glebæ succini, Nerone Principe allatum, fuisse XIII librarum.

Jacebat. Adeò vile, ut Guttones, qui illud æstuarium olim incolebant, pro ligno ad ignem uterentur succino, proximisque Teutonis vende-
rent, Plin. XXXVII, 2.

Luxuria nostra. Inde enim apud Romanos e succino monilia, anuli, nummi, pocula, auctore Plinio loc. cit. Fuere & columnæ, de quibus Claudianus, de Rapt. Proserpin. I, 154.

*Atria cingit ebur, trabibus solidatur ahenis
Culmen, & in celsas surgunt eleætra columnas.*

Transit quoque in theatra succinum, Nerone Principe. Vide Plinium, loc. cit. cap. 3.

Succum tamen arborum. Alii postea succinum inter bituminum saliumque species annumeravere; quorum sententiæ favere videbatur succinum fossile, in agris Prussicis passim obvium: repertum quoque in Saxoniam prope oppidum Schmideberg, aliisque in locis a mari dissipatis. Sunt tamen adhuc & plurimi, qui succinum esse succum arborum pinearum ac populearum volunt; quâ de re ingeniosas ac probabiles conjecturas nuper edidit Cl. Formey.

Interlucent. Araneas, formicas, apes, aliaque id genus, succino clausa, ut rectè explicat Tacitus, sæpe vidimus. At circumferuntur quoque lacerti, aliaque majora animalia succino impli-
cita, non naturæ lusu, sed circulatorum fraudibus, qui his monstris pecuniosos & ignaros homines argento emungunt.

Orientis secretis. Bene accuratéque dictum, quia inter secreta habebantur colebanturque thura ac balsama. De thure Arabiæ vide Plinium XII, 14. De Judææ balsamo diximus suprà Hist. V, 6.

In adversa litora. E proximo Suionum mari in adversa Æstiorum litora vi tempestatum succinum propellebatur.

Olenem. Succinum attritu odorâque flammam
pinum redolet.

Sitonum gentes. Nunc *la Norwege.*

CAP. XLVI. *Germanis an Sarmatis.* Germania quidem Vistulâ, *la Vistule*, finiebatur; & ultra Vistulam erat Sarmatia. Peucini tamen, Venedique & Fenni Germanicæ originis esse videbantur, quòd, licet in Sarmatiâ positi, a Sarmatarum moribus deflechterent.

Peucini. Peucinos quoque Germanicæ adscribit Plinius IV, 14, *Quinta Germanicæ pars Peucini, Basternæ, suprà diëlis contermini Dacis.* Ad Istri, *le Danube*, ostia, & in ipsis etiam Istri ostiis insulam Peucen, nunc *Piczina*, habitabant Peucini, pars Bastarnarum, ut patet ex Strabone VII, pag. 306.

Sede ac Domiciliis. Sedem domiciliaque figebant Peucini. Contrà Sarmatæ in plaustro equoque vivebant.

Conubiis mixtis. Peucinorum proceres conubia miscebant cum Sarmatis, & in Sarmatarum habitu moresque fœdabantur.

Venedi. Venedi ultra Peucinos & Bastarnas ad Sueicum usque mare, *la mer Baltique*, protendebantur. Venedorum memoriam adhuc retinet Sinus Venedicus, nunc *le Golfe de Danzig*. Manet quoque nomen in *Wenden*, quæ pars est Livoniæ. Cùm Germanorum gentes plurimæ in Italiam, Galliam, Hispaniam irrupissent, Venedi, dicti quoque Winedi, vacuas sedes occupavere inter Vistulam & Albim. Inde Danubium trahere, Dalmatiam, Illyricum, Istriam, Carnos, Noricasque Alpes tenuere. De eorum nomine pars Carniolæ adhuc dicitur *Windismarck*. Ob celebritatem nobilitatemque cognominati sunt Slavi, latissimèque viget eorum lingua, *la langue*

Sclavonne, de quâ eruditè differuit Cl. de Peyssonnel, *Observations Historiques & Géographiques sur les peuples barbares*, pag. VII & seqq.

Ex moribus. Ex moribus Sarmatarum.

In plaustro equoque. Sic & hodie vivunt Sarmatarum reliquiae, les Tartares, les Nogais.

Fennis. Eorum regio a Plinio IV, 13, dicitur, Eningia. Fortè melius legeretur Feningia. Hodie la Finlande. Fennorum feritatem paupertatemque describit Warnefridus, de Gestis Langobardorum I, 5. Scritobini, potius Scritofinni, æstatis tempore nivibus non carent, nec aliis, utpote feris ipsis ratione non dispares, quâm crudis agrestium animantium carnibus vescuntur; de quorum etiam hirtis pellibus sibi indumenta coaptant. Hi a saliendo, juxta linguam barbaram, etymologiamducunt: saltibus enim utentes, arte quadam ligno incurvo, ad arcus similitudinem, feras adsequuntur. In his saltibus, in incurvo arcuatoque ligno, agnoscere est Canadenses soleas, quas vulgo dicimus les raquettes. Earum descriptionem vide apud P. de Charlevoix, loc. cit. Lettre XIV, pag. 221.

Securi. Sic Seneca, Ep. XVII, commendat paupertatem, quâ promittitur perpetua libertas, nullius, nec hominis, nec Dei timor. De interritâ Canadensium securitate, cùm suprema vitæ instant, vide P. de Charlevoix, loc. cit. Lettre XXVI, pag. 372.

Ne voto quidem. Illis natura sufficit. Inde ne voto quidem opus, quia natura minimum petit, Senec. loc. cit.

Hellusios & Oxionas. Ultra Fennos Hellusii & Oxiones, nunc la Laponie. Cùm in his frigidissimis regionibus homines horrerent hirsutis ferarum pellibus, dicti sunt ora hominum, corpora artusque ferarum gerere; communi errore, &

apud nos etiam in longinuarum peregrinationum narrationibus vulgato. Adde moris esse apud barbaros imitari sonos ferarum, ut terreat & fallant. Vide P. de Charlevoix, *Histoire & Description générale de la nouvelle France*, Libr. I, pag. 16 & seqq.

In medium relinquam. Bene egregieque factum. Fabulas enim prodidisset Tacitus, quales Mela, Plinius, aliique plurimi, etiam recentiores. Nunc verò aliquid de toto hoc libro summatim observare juvat. Compertum enim mihi videtur, & omnibus perspectum erit, ut opinor, Tacitum nihil de Germanorum moribus scripsisse, quod cum naturâ & veritate non consentiat. Si enim, ut quibusdam placuit, ingenio suo indulsisset Tacitus, ut Germanorum mores fingeret potius, quam referret, Romanos carpendi cupidus; quomodo mores illi Germanorum cum Canadensium moribus, qui vigent adhuc, nobisque sunt perspectissimi, concordant? Quomodo mores illos Germanorum, in veteribus legibus, Salicâ, Ripuariorum, Burgundionum, Anglorum, Langobardorum, aliorumque, superstites deprehendimus? Quomodo, post tot tantasque saeculorum atque imperiorum vices, mores illos, illos usus tamdiu retinuere, hodieque magnâ ex parte retinent immensæ. & diversæ Germanorum, Francorum, Anglorum gentes? Quotquot vivimus, & annales nostros, nostras leges; nostros usus novimus, huic libro fidem facimus. Utinam faciamus semper, Germanicasque virtutes, novis & majoribus in dies virtutibus, cumulemus! At in hoc libro mores Romanos, vel silens, passim caput Tacitus. Verè quidem & bellè. Hoc est enim optimi cuiusque scriptoris officium, haec cura, haec laus, ad ætatis suæ mores, sine adulacione, sine offensione, animum advertere, eosque pro suis viribus ad meliora.

meliora promovere. Nihil ultrà addidero. Si quis autem, quantum Germanici moris retinuerimus, voluerit paucis cognoscere, elegantissimam legat dissertationem, cui Cl. de Vertot titulum fecit: *Dissertation dans laquelle on tâche de démêler la véritable origine des François, par un parallel de leurs mœurs avec celles des Germains.* Vide *Mémoires de l'Académie Royale des Inscriptions*, Tom. II, pag. 567 & seqq.



• C E N T U R I O N E S R E P U B L I C A E R E P U B L I C A E R E P U B L I C A E R E P U B L I C A E R E P U B L I C A E

N O T Ā E
IN LIBRUM
C. CORN. TACITI
DE VITA
CN. JULII AGRICOLÆ.

IN hac Cn. Julii Agricolæ vitâ absolutissimum habemus decoræ perfectæque laudationis exemplar. Ad illud quantò magis accesserit, quicumque id scribendi genus suscipit, tantò probatior erit & illustrior: quò magis autem ab eo recesserit, tantò pluribus obruetur vitiis.

CAP. I. Rutilio. P. Rutilium Rufum , consulem anno Urbis conditæ DCXLIX , Velleius Paterculus II , 13 , appellat *virum non sæculi sui , sed omnis ævi optimum*. In Tiberii Gracchi amicos sæviit ; sed postea in iis ipsis , quæ pro senatu moliebatur , senatum habuit adversarium : ex lege repetundarum interrogatus , maximo cum gemitu civitatis damnatus est. Vide eumdem Velleium cap. 7.

Et Scauro. M. Æmilio Scauro , consuli anno U. C. DCXXXIX , sapientis hominis & recti gravitas summa , & naturalis quædam inerat auctoritas , teste Cicerone de Claris Oratoribus , cap. 29. Hujus & orationes sunt , & tres ad Fusidium libri

Scripti de vitâ ipsius aëtâ , sanè utiles , quos nemo legit. At Cyri vitam & disciplinam legunt , præclaram illam quidem , sed neque tam rebus nostris aptam , nec tamen Scauri laudibus anteponendam. Post consulatum fuit princeps senatûs. At , quod virtutum tædio incertum an ingeniorum inconsistantia sæpe contigit , vir ille optimus filium habuit luxu perditum , cuius œdilitas maximè prostravit mores civiles , ideoque dicta Plinio XXXIII, 15 , num. 7 , majus malum , quam proscriptio tot milium a Syllâ , ejus vitrico , facta.

Tempora. Domitiani tempora.

CAP. II. Legimus. Immo viderat Tacitus , ut ipse testatur infrà cap. 45. Sed edicta quoque , quibus damnati fuerant , scripta , quibus laudati , legerat. Præterea hæc non tam ad scriptorem , quam ad lectores pertinent.

Aruleno Rustico. Locum hunc egregiè illustrat Dio LXVII , pag. 765. Τὸν γὰρ οὖν Ρέσικον τὸν Ἀριζλίνου ἀπέκτεινεν , ὅτι ἐφιλοσόφεις , καὶ ὅτι τὸν Θρασέαν ἱερὸν ἀνθεῖει , καὶ Ἐρέννιον Σενεκίανα , ὅτε τε ὑδεμίαν ἀρχὴν ἐν πολλῷ βίᾳ μετὰ τὴν ταρσεῖαν ἤτηκε , καὶ ὅτι τῇ Πρίσκῃ τῇ Ἐλευθερίᾳ τὸν βίον συνέγραψεν. Domitianus Rusticum Arulenum interfecit propterea , quod philosopharetur , quodque Thraseam virum sanctissimum appellasset ; itemque Herennium Senacionem , quod cum vixisset diutissime post quæsturam , nullum magistratum petivisset , quodque Helvidii Prisci vitam conscripsisset. Haud ita accuratè Suetonius in Domit. X. Junium Rusticum , quod Pæti Thraseæ & Helvidii Prisci laudes edidisset , appellassetque eos sanctissimos viros : cuius criminis occasione , philosophos omnes Urbe Italiaque submovit. Stoicus erat Arulenus Rusticus ; ideoque a M. Regulo contumeliosè appellatus Stoicorum simia : Vitellianus

cicatrice stigmatus. Plin. I, Ep. 5. De Thraseâ ; quem Nero interfecit , dictum est Annal. XVI , 21 & seqq.

Comitio ac foro. Comitium erat in foro Romano , octavâque Urbis regione. Hic olim crematos fuisse Numæ Pompilii libros , in arcâ lapideâ repertos , quod plerique *dissolvendarum religionum* erant , tradit Livius XL , 29.

Sapientiæ professoribus. Philosophis omnibus , quos Urbe Italiâque submovit Domitianus , ut dictum est suprà.

CAP. III. *Beatissimi sæculi.* Beatissimum quidem exortum est sæculum , cùm post Domitiani tempora , ejusque actis rescissis , anno Urbis conditæ DCCCXLIX imperare cœpit Nerva , cuius virtutes Trajanus , Hadrianus , & uterque Antoninus æmulati sunt.

Nerva Cæsar. Cùm Nerva mortuus sit anno U. C. DCCCLI , nec DIVVS hic appelletur , patet vitam Agricolæ a Tacito scriptam fuisse anno U. C. DCCCL : immò sub anni finem : jam enim adoptatus fuerat Trajanus ; quod contigit , exeunte Octobri , aut ineunte Novembri. Vide Dionem LXVIII , pag. 770 , & ad hunc locum notam eruditæ Reimari.

Felicitatem imperii. Facilitatem imperii emendavit Beroaldus ; non absurdo sensu : probabilior tamen felicitas.

Nerva Trajanus. Ita appellatus est Trajanus , cùm a Nervâ fuisset adoptatus. In nummo aureo e Cimelio Regio , NERVA TRAIAN. CAES. GERM. NER. AVG. F. P. TR. P. COS. II. Id est , Nerva Trajanus , Cæsar , Germanicus , Nervæ Augusti filius , pontifex , tribuniciæ potestatis , consul iterum , caput Trajani laureatum. Ex adversâ parte ADOPTIO.

Securitas publica. SECVRITAS PVBLICA; quæ & ore hominum ferebatur, & nummis inscriebatur, olim spem tantum ac votum exprimebat, nunc verò Nervâ Principe, adoptatoque Trajano, habet ipsius voti fiduciam ac robur.

Per quindecim annos. Quibus imperavit Domitianus.

Composuisse. Tunc enim non modò Historiarum Annaliumque libròs, memoriam prioris servitutis, sed & Nervæ Trajanique res, testimonium præsentium bonorum, scribere meditabatur Tacitus.

CAP. IV. *Forojuliensium.* Forojuliensium colonia, nunc Fréjus, in Galliâ Narbonensi, de quâ Plinius III, 4. *Forum Julii Octavanorum colonia, quæ Pacensis appellatur & Clæssica.*

Procuratorem Cæsarum. Procuratorum alii in provinciis publicas pecunias, alii tum publicas tum familiares Cæsarum pecunias curabant. Publicanorum autem ordine & officiis vulgò detinebantur equites Romani; quos inter habebantur nobiles, qui erant procuratores Cæsarum. Inde equestris illa nobilitas, quam Tacitus memorat. De procuratoribus & publicanis dictum suprà Annal. XII, 60. In minoribus quibusdam provinciis, ut in Judæâ, procuratores jurisdictionem obtinebant. Quod omnibus coniupertum.

Julius Græcinus. Julius Græcinus, teste Senecâ Ep. XXIX, vir egregius. Idem de Beneficiis II, 21, *Si exemplo magni animi opus est, utamur Græcini Julii, viri egregii, quem Caius Cæsar occidit ob hoc unum, quod melior vir erat, quam esse quemquam tyranno expediret.* Ejus volumina de vineis laudant Columella I, 1. & Plin. XIV, 2. XVI, 44. Nummum Buthrotiorum, nunc Butrinto, in Epiro, protulit Cl. Pellerin, *Recueil de Médailles de Peuples & de Villes*, Tom. I.

pag. 82, tabul. XII, num. 5, inscriptum: E
GRAECINVS. QVIN. PER. id est, Julius
Græcinus, Quinquennalis perpetuus. Incertum
tamen utrum ad Julium Græcinum, Agricolæ
patrem, pertineat.

*Caii Cæsaris. Caii Caligulæ. Vide Supple-
mentum Annal. VII, 23.*

*In hujus finu indulgentiâque. De hac optimâ
institutione vide infrâ Dialog. de Orat. XXVIII.*

*Massiliam. Nunc Marseille. De hac urbe a
Phocænibus conditâ, unde Græca comitas, jani
dictum suprà Annal. IV, 43. De ejus origine &
laudibus plura vide apud Strabonem III, p. 124.*

CAP. V. Ex sapientiâ modum. Summæ & per-
fectæ sapientiæ est, vel in ipsâ sapientiâ retinere
modum. Quantò meliora sunt, quæ appetimus,
tantò difficilior modus.

*Suetonio Paullino. Suetonius Paullinus jam
laudatus suprà Annal. XIV, 29 & 33.*

*Contubernio. Optimæ spei juvenes a ducibus
in contubernium adsumpti; sic ferme apud nos
les Aides de Camp. Julius Cæsar stipendia prima
in Asiâ fecit, Marci Thermi prætoris contubernio.
Sueton. in Jul. Cæs. II.*

*Et commeatus. De his commeatibus, des congés;
dictum suprà Hist. I, 46.*

*Titulum tribunatûs. Tribunatus militum, qui,
ob ambientium multitudinem, nonnumquam se-
mestris erat. Unde Plinius IV, Ep. 41. Hunc;
Calvisium, ergo rogo, semestri tribunatu splen-
didiorem & sibi & avunculo suo facias.*

*Incensæ coloniæ. Trucidatos veterans, in-
censam coloniam Camulodunum, Colchester;
vidimus suprà Annal. XIV, 31 & seqq.*

*Temporibus. Qualia tunc erant Neronis tem-
pora.*

CAP. VI. Tantò major laus. Iis maximè sæculis, quibus profligati sunt mores, & feminis quævis audere licet, in bonâ uxore tantò major laus, quantò in malâ plus culpæ est.

Quæsturæ. Quâ primus ad honores aditus. Vide suprà Annal. III, 29. Provinciarum præsidibus quæstores & quæstorum scribæ, sorte lecti, ut difficiliùs, timidiùsque peccarent. Vide Plinium IV, Ep. 12.

Salvium Titianum. Fratrem Othonis Imperatoris, de quo sæpe suprà Hist. I & II.

Sublatum. Antè suscepsum, sublatumque e terrâ, in quâ nudâ nudi infantes Romani, recens nati, deponebantur. Vide Plin. VII, in præfat. num. 1, & Suetonium in Aug. V.

Tribunatum plebis. Hujuscce magistratûs summa auctoritas, potestas sacrosancta. Ideo tribunatûs annum quiete & otio transiit, ne Neronem offenderet. De dignitate tribuni plebis multa habet Plinius I, Ep. 23.

Jurisdictio obvenerat. Inter prætores eminebant prætor Urbanus & prætor peregrinus. Ille inter cives, hic inter peregrinos, vel peregrinos inter & cives jus dicebat: De eorum jurisdictione vide Livium XXIV, 44. Talis jurisdictio non obvenerat Agricolæ. Ex iis tantùm prætoribus fuit, qui quæstionibus publicis præerant. Inde facile ei fuit silentium. Ludos tamen, quos edere solebant prætores, aliaque honoris inania modo rationis atque abundantia duxit, quantò a luxuriâ remotior, tantò famæ propior. Septem diebus solemnes ludos celebrabant prætores, tantâ autem luxuriâ, vel ipso vergente imperio, ut immanis pecuniarum vis in hos ludos impenderetur. Vide Photium, Cod. LXXX, ex Olympiodoro. Ceterum honoris inania rectè dixit Tacitus: vim enim magistratûs obtinebant Imperatores, ludos

& honoris inania prætoribus permittebant. Unde Boetius, Consol. Philosoph. III, prof. 4, præturam meritò appellat, *inane nomen & senatorii censūs gravem sarcinam.*

Quam Neronis. Agricola diligentissimâ conquisitione fecit, ut dona, templis adempta, quæ adhuc superessent, templis restituerentur. Ita respublica unius Neronis, qui templo spoliaverat, eamque prædam in voluptatum, libidinum, luxuriæ usus verterat, sacrilegium sensit. Vide suprà Annal. XV, 45.

CAP. VII. *Sequens annus.* Fuit annus Urbis conditæ DCCCXXII, Jesu Christi 69.

Licenter vaga. Ut dictum est suprà Hist. II, 12 & 13.

Intemelios. Nunc le comté de Vintimille.

Nuntio affectati. Mense Julio anni suprà dicti: Vide Hist. II, 79.

Licentiam usurpante. Vide suprà Hist. IV, 2.

Delectus. Gallicè levée de troupes.

Vicesimæ legioni. Vicesima legio victrix in Britanniâ inter Cornavios commorabatur Devæ, nunc Chester. In Itinerario Antonini, pag. 469, **DEVA LEG. XX. VICTRIX**, id est, *legio vicesima victrix.* Ibi adhuc plurima supersunt antiquitatis rudera. Vide eruditum Camden, *Britannia*, pag. 538.

Tardè ad Sacramentum. Cum Vitellianis viæta, tardè ad sacramentum partesque Vespasiani transgressa est.

Decessor. Roscius Cælius, de quo suprà Hist. I, 60.

Legatis quoque consularibus. Non modò Trebellio Maximo & Vettio Bolano, legatis consularibus, qui universis in Britanniâ legionibus prærerant, nimia ac formidolosa fuit: sed neq;

Roscius Cælius, legatus prætorius hujusce vice-simæ legionis, ad eam cohibendam potens. Itaque Agricola successor simul & ultor electus est.

Formidolosa erat. Superbiam sanè ei indiderunt egregia ejus facta. De hac legione dictum suprà Tom. IV, pag. 435. In Britanniâ plurima manent ejus monumenta, quæ vide apud eruditos Camden, Gordon, Horsley, aliosque.

CAP. VIII. Præerat tunc Britanniæ. Ut hæc Historiæ pars illustretur, seriem Britanniæ præsidum hic proponi, & cum rebus, narratis superiùs, componi haud erit inutile.

PRÆSIDES BRITANNIÆ

ab anno Urbis conditæ DCCXCVI, Jesu Christi 43, ad annum Urbis conditæ DCCCXXXVIII, Jesu Christi 85.

AVLVS PLAVTIVS, Vit. Agr. XIV. Supplement. Annal. IX, 50 & seqq. XI, 3.

OSTORIVS SCAPULA, Vit. Agr. XIV. Annal. XII, 31 & seqq. Supplement. Annal. XI, 3.

AVLVS DIDIVS GALLVS, Vit. Agr. XIV. Annal. XII, 40. XIV, 29.

Q. VERANIUS, Vit. Agr. XIV. Annal. XIV, 29.

SVETONIUS PAVLLINVS, Vit. Agr. XIV & seqq. Annal. XIV, 29 & seqq.

PETRONIUS TVRPILIANVS, Vit. Agr. XVI. Annal. XIV, 39.

TREBELLIUS MAXIMVS, Vit. Agr. XVI. Hist. I, 60 & seqq.

VETTIUS BOLANVS, Vit. Agr. XVI. Hist. II, 65.

PETILIVS CERIALIS , Vit. Agr. XVII.

IVLIVS FRONTINVS , Vit. Agr. XVII.

CNAEVS IVLIVS AGRICOLA , cuius nomen virtutesque immortalitati scriptis suis tradidit Tacitus.

Ne increseret. Hæc omissa vellet Cl. Ernestus. In iis tamen inest quoque acumen. Nam Agricola ardorem compescuit , ne increseret , & Bolano melior videretur.

Consularem. Consularem legatum. Antea Petilius Cerialis fuerat legatus legionis nonæ , ut vidimus suprà Annal. XIV , 32.

Spatium exemplorum. Haec tenus in brevi tribu-
naru militum , in tribunatu plebis & præturâ ,
muneribus annuis quiete & otio transfigendis , vix
fuerat virtutibus locus , certè non fuit spatum
exemplorum. At cùm Agricola per quadriennium
legatus fuit legionis vicesimæ , habuit spatum
depromendi virtutes suas in exemplum præsentis
ætatis & pòst futuræ , ut rectè explicat Illustr.
Huetius.

CAP. IX. *Inter Patricios.* Ut suprà Annal. XI , 25.

Provinciæ Aquitaniæ. A Pyrenæis montibus ad Ligerim usque , depuis les Pyrénées jusqu'à la Loire , protendebatur Aquitania.

Administratione. Agricola , rector Aquitaniæ , splendidæ fuit dignitatis , ob magnæ provinciæ administrationem , ac spem consulatus , cui a Vespasiano erat destinatus.

Secura & obtusior. Quia paucis & perspicuis legibus utitur , fori ambagibus minimè intricata.

Quamvis inter togatos. Quanvis Agricola & castris ad togatos , forique astutarum peritos , venisset , naturali tamen suâ prudentiâ facile justéque agebat. Frustra tentat eruditus Grotius ,

quamvis inter sagatos , vel quamvis non interrogatos. Nec satis apposité Illust. Huetius interpretabatur , *Agricola naturali prudentiâ , quamvis ex usu etiam & arte , ut pote etiam sëpe diuque inter togatos versatus , facile justéque agebat.* Frequens toga etiam in provinciis , ut patet ex cap. 21. & ex Hist. II , 20. Causidici autem & patroni dicuntur togati infrà de Oratoribus cap. 6.

Ubi conventus. Conventus juridici , in quibus jus dicebatur. Sic , teste Plinio III , 1 , in Baeticâ erant juridici conventus quatuor , *Gaditanus , Cordubensis , Astigitanus , Hispalensis , nunc Cadiz , Cordoue , Ecija & Séville.*

Trifitiam , & arrogantiam. Trifitia , arrogantia , avaritia , quandoque vitia præsidibus judicibusque solita. Trifitiam affert morositas : arrogantiam potestas : avaritiam cupiditas , vel ipsa corrumpentium ars. Quæ adversùs vitia sapientissimè cautum legibus Romanis , ut videre est in Digest. libr. I , Tit. 16 , *de officio Proconsulis & legati.* Agricolam verò ita commendat Tacitus , ut ne ipsa quidem justitiæ species , quam a piCTORIBUS adumbratam laudat Gellius XIV , 4 , sit pulchrior.

Facilitas auctoritatem. Id maximè cavebant leges Romanæ , ut patet ex Digest. lib. I , Tit. 18 , *de officio Præsidis.* Leg. 19 , ex Callistrato. Observandum est jus reddenti , ut in adeundo quidem facilem se præbeat , sed contemni non patiatur : unde mandatis adjicitur , ne præsides provinciarum in ulteriore familiaritatem provinciales admittant : nam ex conversatione æquali contemptio dignitatis nascitur. . . . Summatim ita jus redi debet , ut auctoritatem dignitatis ingenio suo augeat.

Atteri sordidum. Vincere collegas , vicinarum nempe provinciarum rectores , inglorium , a

procuratoribus atteri sordidum arbitrabatur.

Consul. Anno Urbis conditæ DCCCXXX, Iesit Christi 77, quo consulatum iniere Vespasianus Augustus VIII & Titus Cæsar VI. Iis suffectos fuisse Kalendis Julii Domitianum Cæsarem VI & Cn. Julium Agricolam notat Cl. Muratori, *Annali d'Italia*. Tom. I, pag. 291.

Pontificatus sacerdotio. Adlectus est in collegium pontificum, cui præerat pontifex maximus.

CAP. X. Multis scriptoribus. Julio Cæsari, Livio, Straboni, Fabio Rustico, Pomponio Melæ, Plinio, &c.

In Occidentem Hispaniæ. Jul. Cæsar. Bell. Gall. V, 13. Alterum Britanniæ latus vergit ad Hispaniam, atque occidentem Solem: quâ ex parte est Hibernia.

Livius. Hæc tradebat Livius libro CV, qui periiit. Vide Epitomen.

Fabius Rusticus. Jam laudatus suprà Annal. XIV, 2..

Oblongæ scutulæ vel bipenni. Has figuræ utcumque referet Britannia, si citra Caledoniam, l'Ecosse, eam inspexeris. At in his figuris haud plus veritatis, quam in Geographicis tabulis, quæ Belgium sub formâ leonis exhibuere.

In cuneum tenuatur. Bene quidem. Pars altera Britanniæ, Scotia, in cuneum tenuatur, australi Britanniæ parte angustior.

Adfirmavit. Id multò antè cognitum, ut constat ex antiquioribus scriptoribus: sed cum tunc primum Romana classis Britanniam fuisse circumvecta, id adfirmatum. De hac navigatione dicetur fusius infrà ad cap. 28.

Orcadas. Nunc les îles Orkney, vel les Orcades. Insulæ quidem illæ tunc certò penitusque cognitæ sunt. Antè famâ saltem celebres fuere.

unde Mela III, 6, Triginta sunt Orcades angustis inter se diductæ spatiis. Et Plinius IV, 16, sunt autem XL Orcades modicis inter se discretæ spatiis. Claudii tempore pervulgata hæc fama, & solitâ adulatione statim in victorias cessere. Inde Hieronymus, in Chronico, *Claudius de Britannis triumphavit, & Orcadas insulas Romano adjecit imperio.*

Thule. Nunc les isles de Schetland, ut rectè monuit eruditus Camden, *Britannia*, pag. 814. Tunc tamen Plinio cognita ultima omnium insularum, quæ memorantur, *Thule*, nunc l'Islande, Plin. IV, 16. Procopius, Bell. Gothic. II, 15, aliam celebrat Thulen, nunc la Norvege, quam inter veteres plurimi insulam esse credidere; & Norwegicæ Thules memoria fortè exstat in Norwegicâ regione, quæ Tele-mark dicitur. Vide Cl. d'Anville, *Mémoires de l'Académie Royale des Inscriptions*, Tom. XXXVII, pag. 436. *Mémoire sur la Navigation de Pythées à Thulé.*

Mare pigrum. Plinius IV, 16, *A Thule unius diei navigatione mare concretum, a nonnullis Cronium appellatur.* Vide jam dicta suprà in libro de Moribus Germanorum, cap. 45.

Latius dominari mare. Certè nusquam latius, quam in Oceano dominatur mare: nec quotidiano tot fluminum accessu crescit, aut resorbetur. Sic terris circumfusum atque etiam interfusum, jugis ac montibus, velut in suo, inseritur.

CAP. XI. Indigenæ. De indigenis dictum suprà in libro de Moribus Germanorum cap. 2. Britanos interiores, quos natos in insulâ ipsâ memoria proditum tradit Julius Cæsar Bell. Gall. V, 12, esse origine Germanos meritò adseverat Tacitus.

Caledoniam habitantium. Caledonia, l'Ecosse, ibi immensæ silyæ: unde Plinius IV, 16, Tri-

*ginta propè jam annis notitiam ejus Romanis
armis non ultra vicinitatem silvæ Caledoniae
propagantibus.*

Germanicam originem. Germanorum rutilus
comas, magna corpora, vidinus suprà de Moribus
German. cap. 4.

Silurum. Silures, nunc les comtés de Glamorgan, de Monmouth, de Brecknock, de Hereford & de Radnor.

Crines. Coloratos Silurum vultus, & tortos
plerumque crines, ac nigros memorat Jornandes,
qui hunc Taciti locum exscripsit. Vide Testimo-
nia Veterum. Coloratos hos vultus, tortosque
crines Gallicè dicimus, le teint olivâtre, les
cheveux crêpus. Quem corporis habitum retinent
adhuc Hispanorum plurimi.

Iberos. Nomen gentis Hispanæ, ita dictæ ab
Ibero flumine, nunc Ebro, vel l'Ebre.

Proximi Gallis. Quos laudat Cæsar, Bell.
Gall. V, 14. *Ex his omnibus longè sunt huma-
nissimi, qui Cantium, nunc Kent, incolunt,
quæ regio est maritima omnis, neque multum à
Gallicâ differunt consuetudine.*

Procurrentibus in diversa. Seu, cùm pars illæ
Britanniaæ in Galliam, pars Galliæ in Britanniam
procurreret, eadem cæli positio eundem corpo-
ribus habitum dedit.

Eorum sacra. Ac maximè Druidas, & fanaticas
eorum superstitiones. Vide suprà Annal. XIV, 30.

Sermo. Sermonem illum adhuc retinent apud
Anglos, qui Cornubiam, Cornwall, habitant,
apud Gallos, qui Aremoricam, la Basse-Bretagne
incolunt. Sed ex Belgio maximè in Britanniam
transiere Galli, ut videre est apud Julium Cæsarem
Bell. Gall. V, 12.

Ferociæ. In eam ferociam ipsi infantes innu-
triebantur & adolescebant, teste Solino, cap. 22.

Apud bellicosam Britannorum gentem , puerperæ si quando marem edidit , primos cibos gladio imponit mariti , inque os parvuli summo mucrone auspicium alimentorum leviter infercit , & gentilibus votis optat non aliter , quam in bello & inter arma mortem oppetat.

Olim victis. A Claudio. Vide Supplementum Annalium IX , 50 & seqq.

CAP. XII. Curru præliantur. Quomodo curru præliarentur , opportuniūs dicetur infrà cap. 35.

Honestior auriga. Qui honestior est , currum regit , & ejus clientes e curru propugnant.

Olim regibus. Sic Cunobelinum , Caractacum , & Praesutagum , reges ; reginas quoque Cartimanduam & Boudiceam vidimus suprà Annala XII. XIV. & Hist. III.

Asperitas frigorum. Jul. Cæsar, Bell. Gall. V, 12. Loca sunt temperatoria , quam in Galliâ , remissioribus frigoribus. Idque ex naturâ cæli crebris imbribus ac nebulis fœdi.

Nostrî orbis mensuram. Sic quoque Plin. II, 75; longissimus dies in Italiâ horarum quindecim : in Britanniâ septendecim , ubi æstate lucidæ noctes.

Brevis. Certè Solstitio in extremâ Britanniæ parte , ubi polus elevatur gradibus 58 $\frac{1}{2}$ nox clara est & brevissima , ita ut vel per noctem aspiciatur Solis fulgor , le crépuscule. Unde Solem , non occidere & exsurgere , sed transire adfirmabant.

Extrema & plana terrarum. Hæc ex Tacito descripta Eumenius in Panegyrico Constantini , cap. 6. Vide Testimonia Veterum. Sed errat Tacitus , cum rationem crepusculi in Britanniâ repetit ex eo , quod Britannia sit extrema terrarum ac plana ; quæ proinde humilem umbram , non verò tenebras erigit : unde nox cadit infra cælum & sidera , eorumque lux fulgore Solis he-

betatur. At nec Britannia est terrarum extrema, nec ex ejus planicie, sed ex Solis infra horizontem depressione, & vaporum naturā, crepusculi ratio repetenda est, ut ex Astronomicis principiis constat.

Aurum & argentum. Idem testatur Strabo libri IV, pag. 138. Falsum ergo, quod ait Cicero ad Atticum IV, Ep. 16. *Illud cognitum est neque argenti scripulum esse ullum in illâ insulâ.* Fodinas auri & argenti in provinciâ Cumberland, aargentî in provinciâ Flint, auri in Scotiâ memorat eruditus Camden, *Britannia*, pag. 692, 604 & 741. Quod recentioribus adhuc experimentis comperatum. Vide *British Zoology*. De ceteris metallis ferro, stanno, &c. satis comperatum.

Margarita. Reperi in provinciis Caernarvon & Cumberland, & in mari Britannico scribit eruditus Camden, *Britannia*, pag. 597, 690 & 752. De his margaritis accuratissimè Origenes in Matthæum, pag. 210 & 211. Primas tribuit margaritis Indicis, quarum optimæ in mari Rubro; le Golfe Persique, & la mer des Indes, nascuntur: secundas Britannicis: tertias iis, quæ in Bosphoro circa Scythiam reperiuntur. *Britannica* quidem, inquit, *margarita*, colore quo ejus superficies imbuta est, *aurei speciem* refert: *nebulosa* autem est, & *margaritis Indicis obtusior*, οὐ δέ κατὰ Ερετίανιαν, φασὶ, χρυσωπὸς μὲν ἐστι, τὴν ἐπὶ χροῖαν, ὀμιχλώδης δέ τις, καὶ ταῖς μαρμαρυγαῖς ἀμβλότερος. De Indicis margaritis vide Plinium IX, 35. Idem, ibid. de Britannicis unionibus ait: *In Britanniâ parvos atque decolores nasci certum est: quoniam Divus Julius thoracem, quem Veneri Genetrici in templo ejus dicavit, ex Britannicis margaritis factum voluerit intelligi: subjectâ nempe Inscriptione.* Vide & Suet. in Jul. XLVII.

Expulsa sint. Expulsa nempe fluctibus.

Quam nobis avaritiam. Acutè & verè dictum: Quod egregiè illustrat Plinius XII, 18. *Verùm Arabiæ etiannum felicius mare est: ex illo namque margaritas mittit.* Minimâque computatione milles centena millia sestertiū, Gallicæ monetæ libras 19,455,025, annis omnibus India & Seres, peninsulaque illa Imperio nostro adimunt. Tantò nobis deliciæ & feminæ constant. Ergo non Romanis avaritia defuit, sed margaritis Britanicis natura ob nebulosum cælum.

C^AP. XIII. *Divus Julius.* Julius Cæsar Britanniam bis ingressus est annis Urbis conditæ DCXCIX & DCC. Hac de re plura apud Strabonem libr. IV, pag. 138. Vide & ipsum Cæsarem, Bell. Gall. IV, 22. V, 8. ac Dionem XXXIX, pag. 114. XL, pag. 122.

Consilium. Abstinere a Britanniâ, & imperii fines coercere, id consilium vocabat Augustus; de quo consilio dictum suprà Annal. I, 11. Tiberius, qui se Augusti observantissimum simulabat, præceptum appellabat. Vide Annal. I, 77. Cur verò id consilii agitaverit Augustus docet Strabo libr. II, pag. 79. & IV, pag. 138: scilicet plus impensarum fore in domandâ & retinendâ Britanniâ, quam utilitatis in possidendâ existimabat. Itaque eam tantum amicam & vectigalem habere voluit. Vide Strabonem loc. cit.

Caium Cæsarem. Caligulam. Vide Supplementum Annal. VIII, 35 & seqq.

Adversus Germaniam conatus. Vide Supplementum Annal. VIII, 22 & seqq.

Auctōr operis. Vide Supplementum Annal. IX, 50 & seqq.

Vespasiano. Ibid. cap. 54 & 58.

C^AP. XIV. *Aulus Plautius.* Ibid. cap. 58. De

his aliisque Britanniæ præsidibus vide suprà cap. 8.

Ostorius Scapula. De quo suprà Annal. XII, 31. Prope urbem *Hereford*, in *Herefordshire*, parochiâque *Dinder*, exstat adhuc castrum Romanum appellatum *Oyster-Hill*, ab *Ostorio Scapulâ*, ut videtur, locatum & nominatum. Vide *Camden's Britannia*, by *Gibson*, pag. 580.

Veteranorum colonia. Suprà Annal. XII, 32; *Colonia Camulodunum*, valida veteranorum manu, nunc *Colchester*.

Et Reges. Vide suprà Annal. XIV, 26. XV, 1. & Hist. II, 81.

Didius Gallus. Jam laudatus suprà Annal. XII, 40.

Veranius. Quem consulem vidimus suprà Annal. XII, 5. *Strategicum*, librum utiliore, quam elegantiore, illi inscripsit *Onosander*.

Suetonius hinc Paullinus. De quo multa Annal. XIV, 29 & seqq.

Monam insulam. Nunc *l'isle d'Anglesey*. *Mon* quoque a *Julio Cæsare*, *Bell. Gall. V*, 13, & a *Plinio IV*, 16; *Monapia* dicitur alia insula, paulò superior, nunc *Man*.

Occasioni patefecit. *Suetonius Paullinus*, dum *Monam insulam* aggrediebatur, vitam Britanniæ partem, quam a tergo reliquerat, subitis casibus objecit. Occasionem hanc Gallicè dicimus *la surprise*.

CAP. XV. *Nunc binos imponi.* Legatum nempe & procuratorem *Cæsar*is imponi.

In sanguinem. Ob gladii potestatem, quâ utebatur legatus. Vide *Digest. libr. I*, Tit. 16, de *Officio proconsulis & legati.* Leg. 6 & 8.

Procurator. Qui cùm publicas *Cæsar*isque res curaret, avaritiâ sâpe in bona sâviebat. *Cati Deciani*, procuratoris, avaritiâ *Britannos in*

bellum actos fuisse vidimus suprà Annal. XIV,
32.

Æque discordiam. Julius Classicianus successor
Cato Decidianus missus fuit, non melior, &
Suetonio discors. Vide suprà Annal. XIV, 38.

Alterius manus. Manus, seu servos procuratoris,
centuriones ac milites legati, vim ac con-
tumelias miscere. Inter manus procuratoris nume-
rari quoque possunt coloni Cæsaris, adversus
quos ne quid tumultuosum, vel injuriosum fieret
cavebant procuratores. Vide Digest. libr. I,
Tit. 19, *de Officio procuratoris Cæsaris.* Leg. 3,
ex Callistrato.

Delectus. Gallicè levée de troupes.

Transisse militum. Quām pauci milites Romani
in Britanniam transferint, si sese Britanni numerent.

Excusisse jugum. Varianâ clade; dē quâ dictum
sæpe suprà Annal. I & XIII.

Et flumine. Rheno ac Danubio.

Quod difficillimum fuerit. Cùm apud illos antea
neque conventus, neque consensus foret; ut dic-
tum est suprà cap. 12.

CAP. XVI. Boudicea. Icenorum regina, lau-
data suprà Annal. XIV, 31 & seqq.

Ipsam coloniam. Camulodunum; ut suprà
cap. 14.

Petronius Turpilianus. Vide suprà Annal.
XIV, 39.

Trebellio Maximo. Vide suprà Hist. I, 60.

Velut paëti. Paëti sunt. De Trebellii fugâ vide
suprà Hist. II, 65. Ibidem memoratur Vettius
Bolanus, Trebellii Maximi successor.

Eadem inertia. Adulationis ergo arguendus
videtur Statius, cùm Crispinum, Bolani filium,
ita alloquitur, *Silvarum libro V, carm. II, 53.*

*Aliis Decii reducesque Camilli
Monstrentur ; tu disce patrem , quantusque nigranter
Fluctibus occiduis , fessoque Hyperione Thulen
Intrarit mandata gerens.*

Et mox ibid. vers. 142.

*Quanta Caledonios attollet gloria campos !
Cùm tibi longævus referet trucis incola terræ ;
Hic suetus dare jura parens : hoc cespite turmas
Affari : nitidas speculas , castellaque longè
Aspicis ? Ille dedit , cinxitque hæc mœnia fossâ ;
Belligeris hæc dona deis , hæc tela dicavit.
Cernis adhuc titulos ; hunc ipse vacantibus armis
Induit , hunc regi rapuit thoraca Britanno.*

CAP. XVII. *Magni duces. Magni fuere duces ;*
egregii exercitus , imminuta hostium spes.

Petilius Cerialis. Memoratus sæpe suprà Annal.
XIV. Hist. III & IV.

*Brigantium civitatem. Nunc les comtés d'York ,
de Richmond , de Lancastre , de Westmorland ,
de Cumberland , & l'Evêché de Durham.*

Obruisset. Magnitudine rerum præclarè gestarum , successoris curam famamque obruerat Cerialis.

Quantum licebat. Julius Frontinus , vir magnus ,
hanc belli curæque ac famæ molem , quantum
licebat , sustinuit. Magno enim viro succedere
semper difficillimum. Nec eadem tantum virtus ,
sed major requiritur , ut quis post magnum virum
magnus ipse habeatur. Qui , Gruterum , Berneg-
gerum , Gronovium & Ernestum secuti , hæc
conjungunt , vir magnus quantum licebat , & ad
tempora , magnæ virtuti sub malis Principibus
infesta , referunt , Frontinum in Britanniam ,
medio Vespasiani Principatu missum fuisse no-

attendunt. Durant Frontini scripta ; durat viri , non unâ laude celebris , memoria , quam exstructo monimento propagatam noluit , dictitans : IMPENSA MONIMENTI SVPERVACVA EST ; MEMORIA NOSTRI DVRABIT , SI VITA MERVIMVS. Plin. IX , Ep. 19.

Silurum gentem. De Siluribus jam dictum supra cap. II.

Locorum. Loca illa montibus aspera.

CAP. XVIII. *Media iam æstate.* Annò Urbis conditæ DCCCXXXI , Jesu Christi 78.

Ordovicum civitas. Nūnc les comtés de Flint , de Denbig , de Caernarvon , de Merioneth , & de Montgomery.

Alam. Equites. Sic in veteri Inscriptione Britannicâ , repertâ in Richmondshire , memoratur Valerius Fronto PRAEF. EQ. ALAE. VETTO. Vide Camden's Britannia , by Gybson , pag. 762.

Volentibus erat. Quippe qui bellum volebant. Sic dictum supra Hist. III , 43 , volentibus fuit.

Numeri. Sparsæ per provinciam cohortes. Ita numeri usurpantur apud Plinium X , Ep. 38. Suetonium in Vespasian. VI.

Suspecta potius. Et plerisque potius videbatur loca omnia suspecta , & hostibus obnoxia , præfidiis firmari , ac custodiri.

Legionum vexillis. Vexilla nonæ , secundæ ; ac vicesimæ , Britannicarum legionum vidimus supra Hist. III , 22. Hæc vexilla Gallicè dicimus les détachements. In monumentis Britannicis sæpe memorantur illæ vexillationes , ut videre est apud eruditos Camden , Gordon , aliosque. Dictum quoque de vexillariis supra ad Annal. I , 38 , Tom. I , pag. 316.

In æquum degredi. Ordovices , qui montuosa habitabant , in æquum , seu in planum , degredi

310 IN LIBRUM DE VITA

non audebant. Itaque Agricola erexit aciem
cuam, & Ordovicum juga superavit.

Supra memoravi. Cap. 14.

In dubiis consiliis. Deerant naves, ut in subi-
tariis dubiisque consiliis contingit; sed ratio &
constantia ducis militem transvexit.

Et equos regunt. Unde videtur lectissimos illos
auxiliarium fuisse Batavos; quorum talis peritia
laudata est supra Hist. IV, 12.

Qui classem. Qui Monam insulam habitabant,
opinabantur Romanos classe, navibus, secundo
maris æstu usuros; hæcque si deficerent, minimè
venturos.

Officiorum ambitum. Legatis enim provinciam
ingredientibus publicè privatimque occurrebatur,
commendabantur civitates, xenia missabantur.
Vide Digest. libr. I, Tit. 16, de Officio procon-
sulis & legati. Leg. 4, 6 & 7.

Victos continuisse. Victos a Suetonio Paullino
continuisse, expeditionem aut victoriam non vo-
cabat: ne laureatis quidem literis gesta sua pro-
secutus est. De laureatis literis vide Supplementum
Annal. VIII, 26.

CAP. XIX. Publicæ rei. Nihil publicæ rei agebat
per libertos servosque, pessimo hac in re præsi-
dum Principumque exemplo.

Milites adscire. Singulariter dictum, si adscire,
pro milites legere aut provehere, usurpetur. Sed
cùm nihil publicæ rei per libertos & servos suos
ageret Agricola, stratores aliorumve officiorum
ministros sibi adscivit milites optimos ac fidelissi-
mos. Idque conjicere licet ex Ulpiano, Digest.
libr. I, Tit. 16, de Officio proconsulis & legati.
Leg. 4. *Nemo proconsulum stratores suos habere
potest: sed vice eorum milites ministerio in pro-
vinciis funguntur.* Talis strator erat Silius Hospes,

CN. JULII AGRICOLÆ NOTÆ. 31

cujus memoria exstat apud Gruterum , pag.
CCCLXXXIX , num. 2.

T. CL. CANDIDO &c.

SILIVS. HOSPES. HASTATVS. LEG. X
GEMINAE. STRATOR. EIVS
OPTIMO. PRAESIDI

Exsequi. Omnia scire , non omnia punire. Sic Julius Cæsar , apud Suetonium in Jul. LXVII , *delicta neque observabat omnia , neque pro modo exsequebatur : sed desertorum ac seditiosorum inquisitor , & punitor acerrimus , connivebat in ceteris.*

Non peccaturos præponere. Præponere a libris editis immeritò fuerat omissum. Verbum illud habent Mss. Vatic. 3429 & 4498. Sic quoque Ursinus e vetere Codice ; unde constat Ursini fides hactenus suspecta.

Auctionem. Melius fortè *exactionem* , sic quoque volebant Muretus , Lipsius aliique multi. In Ms. Vatic. 3429 , *auctionem* ; & in margine , *exactionem*. Ms. Vatic. 4498 , *exactionem* ; & in margine , *auctionem*. In hac varietate nihil mutavi ; maximè cùm , teste Suetonio in Vespas. cap. 16. Vespasianus non contentus omissa sub Galbâ vecigalia revocasse : nova & gravia addidisse : auxisse tributa provinciis , nonnullis & duplicasse.

Mollire. Fruimenti & tributorum *exactionem* , vel etiam *auctionem* , æqualitate munerum molliit Agricola , circumcisus quæ ; in quæstum reperta , ipso tributo gravius tolerabantur. Nam , ante Agricolæ præfecturam , procuratores publicani que non statim frumentum stipendiarium exigere , sed Britannorum horrea claudere : Britanni clausis suis horreis adsidere , & , cùm frumentis abunda-

rent, ea tamen ultro grandique pretio emere. Enī ludibrium. Gravior adhuc iāuria, cūm, apertis horreis, persolutoque stipendio, in militum ac præsidis usus exigebatur frumentum, quod Britanni certo quodam ac levi pretio, a procuratoribus publicanisque æstimato, vendere cogebantur. Quæ tandem intoleranda erat sævitia, indicebatur civitatibus, ut, non in sibi proxima, sed in remota & avia hiberna, per devortia itinerum longaque regionum intervalla frumentum deferrent. Sic quod omnibus in promptu erat, paucis publicanis lucrosum siebat. In iis autem injuriarum versutiis, non deerant sanè, qui fericiores Britannorum animos variis ludibriis assidue laboribus domandos jaētitarent. Victa plebs semper rea, cūm premitur.

Vendere pretio. Non emendandum, ut placet Gronovio, *vendere parvo.* Hæc frumenta pretio, a publicanis æstimato, vendebantur. Unde iis nomen, *frumentum œstimatū.*

CAP. XX. Priorum. Priorum præsidūm.

Ubi œstas. Anno Urbis conditæ DCCCXXXII, Jesu Christi 79.

Multus in agmine. Bene Ms. Vatic. 3429. Sic quoque conjecerat Cl. de la Bleterie. Perperam veteres editiones multūm in agmine. Multus est certè & elegantior, & huic loco aptior. Sic suprà Annal. XIV, 56, rarus per Urbem. Et infrà Vit. Agric. XXXVII, frequens ubique Agricola. Nempe, multus in agmine, laudabat ejus modestiam, disjectos coercebat.

Castris ipse capere. Multa adhuc manent in Britanniâ illorum castrorum vestigia. Duo præcipua, sita in provinciâ Annandale, dictaque Burnswork & Middleby fusè describit eruditus Gordon, *Itinerarium Septentrionale*, p. 16 & 18. *Æstuaria.*

Æstuaria. *Æstuaria*, ubi Britannorum limites; silvas, ubi eorum arina ac receptacula. Illa vero æstuaria nunc dicimus *Dee*, *Ribble*, *Leverpool* & *Solway-Firth*, aliaque multa, quæ occurunt usque ad *Clotaïm* & *Bodotriam*, de quibus dicetur infra cap. 23.

Ex æquo egerant. Nec bella cum Romanis detrectaverant; seque iis pares esse fuerant gloriati. Suprà Hist. IV, 64, *Ex æquo agetis.*

Nova pars. Nulla Britanniae pars, Julii Claudiique Cæsarum, & Romanorum ducum armis nondum petita, transiit illacepsita, præside Agricolâ. Sunt tamen qui emendent, *nota pars.* Sed & prior sensus optimus est.

CAP. XXI. *Templa, fora, domus.* Memorant in Britannia Julii Agricolæ domum, quam vocant *Julius's Hoff*, vel *House*; ibique initialibus literis inscriptum: I. A. M. P. M. P. T. quod explicant *Julius Agricola magnum pietatis monumentum posuit templum.* Vide eruditum Gordon, *Itinerarium Septentrionale*, pag. 29. At in his facilis est divinatio, proclivis error, rarissima veritas. Nec scio an ætatem Agricolæ sapiat *templum magnum pietatis monumentum.* Ad Agricolam quoque referunt facellum, quod adhuc existat in provinciâ *Sterling*, prope Bodotriam ostiumque amnis *Carron*. Sacellum nunc dicitur *Arthur's Oon*, vel *Oven*. Illud Martii signifero, aut ulti, positum fuisse volunt. Vide Cl. Gordon, ibid. Fora Gallicè dicimus *les places publiques*: *domus*, *les palais*.

Erudire. Eâdem certissimâque arte olim usus est Augustus, ut videre est apud Suetonium in Aug. XLVIII.

Studiis Gallorum. Duret, vigeat, crescatque apud utramque gentem hæc æmulatio, ingeniorum Tom. VI.

atque studiorum parens altrixque secundissima ! Mirum autem est Agricolam in hac temporum barbarie ingenia Britannorum præsensisse , quæ , tot pòst sæculis , immortalibus clarissimorum virorum Bacon , Milton , Newton , aliorumque plurimorum operibus inclaruere .

CAP. XXII. Tertius expeditionum annus . Urbis conditæ annus DCCCXXXIII , Jesu Christi 80.

Novas gentes. Gentes quæ erant inter Solway-Firth & Firth of Tay. Ibi nunc provinciæ Annandale , Eusdale , Clysdale , Tweedale , Berwick , Lothian , Sterling , Menteth , Perth , Fife.

Ad Taum. Æstuarium illud nunc Firth of Tay , vel l'embouchure du Tay.

Pactione. Deditio.

CAP. XXIII. Quarta æstas . Anno Urbis conditæ DCCCXXXIV , Jesu Christi 81.

Obtinendis. Ea obtinuit , firmando præsidiis.

Clota & Bodotria. Clota , nunc la riviere de Clyd : Bodotria , la riviere de Forth. Inter eorum ostia , & urbes Dunbarton & Edinburgh , in Scottiâ , tantus est diversi maris , Caledonii nempe & Germanici , æstus , ut hic inventus fuisset bellorum ac dominationis terminus , si virtus exercituum & Romani nominis gloria fines patetur.

Angusto terrarum spatio. Triginta circiter milibus passuum distant.

Præsidiis firmabatur. Præsidia illa tenuere a Clotâ , ubi nunc Old kirck Patrick , ad Bodotriam , ubi nunc ferme Abercorn , per triginta septem millia passuum. Sic omnis propior sinus tenebatur.

In aliam insulam. Ultra Clotam & Bodotriam eorumque æstuaria , Caledonia , la partie septen-

CN. JULII AGRICOLÆ NOTÆ. 315

ritionale de l'Ecosse, erat alia ferme insula, in
quam Agricola hostes suminoverat.

CAP. XXIV. *Quinto expeditionum anno. Anno
Urbis conditæ DCCCXXXV, Jesu Christi 82.*

Nave prima. Nave, omnium primâ, quæ oras illas scrutari ausæ sunt, transgressus. Locum hunc malè quidam sollicitant. Aperta mihi videtur Taciti narratio. Agricola, summotis ultra Clotam & Bodotriam, velut in aliam insulam hostibus, transgressus est Clotam æstuarium, *le Golfe de Dunbarton*, nave, Romanarum omnium primâ quæ oras illas scrutata est; eamque Britanniæ partem, quæ Hiberniam aspicit, nempe provincias *Cantire, Carrik, Galloway, Wight, &c.* copiis instruxit.

Hiberniam. Nunc l'Irlande.

In spem magis. In spem futuræ utilitatis.

Valentissimam imperii partem. Hibernia, medie inter Britanniæ atque Hispaniam sita, & Gallico quoque mari opportuna, valentissimam imperii partem, Hispaniam scilicet Galliam & Britanniam, magnis invicem usibus per commercia conjunxit. Hac ætate, quā rudit adhuc erat ars nautica, iis commerciis opportunissima erat Hibernia. Hodieque Hiberni plurimi in Hispaniâ ac præcipue Gadibus, *Cadiz*, negotiantur.

Nostræ maris. Mediterranei maris insulas.

Melius aditus portusque. Aditus portusque Hiberniæ per commercia & negotiatores melius sunt cogniti. Interiora verò insulæ fere ignota.

CAP. XXV. *Sextum officii annum. Annum
Urbis conditæ DCCCXXXVI, Jesu Christi 83.*

Amplexus civitates. Amplexus Orientales Caledoniorum civitates, ubi nunc provinciæ *Fife*,

Perth , Strathern , Angus , Mernes , Marr ,
eārum portus classe exploravit.

Auctus Oceanus. Gloriabantur se Oceani terminos propagasse. Sic auctus Oceanus.

Oppugnasse ultro. Majore famâ , uti mos est de ignotis , Britannos oppugnasse ultro. Nam cùm castella aborti essent , sparsa est fama ipsos ultro bellum intulisse ; atque hinc metus Romanis est additus , ut rectè explicat Ill. Huétius.

Castella aborti. Ex his castellis nonnulla adhuc existant in provinciis Fife , Perth , & Strathern.

Cognoscit. Agricola , cùm hæc cognovit , videtur fuisse in Alatis castris , nunc Edinburgh ; ut jam monuit eruditus Gordon , *Itinerarium Septentrionale* , pag. 36.

CAP. XXVI. Nonam legionem. De quâ jam dictum suprà Tom. IV, pag. 433. Ea legio tunc videtur fuisse in provinciâ Fife , castroque , quod adhuc exstat , & dicitur *Lochore*. Vide eruditum Gordon , loc. cit. Invalida sanè fuit legio , quod multis prœliis fuerat imminuta. Ideo postea completa , dictaque *Gemina*.

Portarum angustiis. Portarum castrorum. In castris Romanis quatuor erant portæ , decumana , præatoria , dextra , sinistra.

Paludes & silvæ. Duobus circiter millibus passuum a castro *Lochore* exstat adhuc magna palus , dicta *Loch-Leven* , unde ingentes arborum trunci sæpe eruuntur , quod certissimum est silvarum , quæ ibi fuere , argumentum. Vide eruditum Gordon , loc. cit.

CAP. XXVII. Cujus constantia. Constantiâ parta fuerat hæc victoria. Quâ constantiâ & victoriæ famâ ferox exercitus.

Modo cauti. Qui regrediendum citra Bodotriam, specie prudentium, ignavi admonuerant, ut dictum est cap. sup.

Arte ducis rati. Verius arte se viatos rati, aut arte ducis superati.

Cœtibus ac sacrificiis. Ut mos est apud barbaros. Vide suprà Hist. IV; 14.

CAP. XXVIII. *Cohors Usipiorum.* De Usipiis dictum suprà de Moribus Germanorum cap. 32.

Immixti manipulis. Peditum erant manipuli, ut turnæ equitum. Cohors verò sexaginta manipulis, aut contuberniis, id est 600 hominibus constabat. Cohorti præerat centurio. Si agulis manipulis, seu contuberniis Usipiorum, milites Romani fuere immixti. Manipulos pro contuberniis dici patet ex Vegetio II, 13. Alii erant manipuli, qui duabus centuriis, seu 200 hominibus constabant, ut docet Cencius apud Gellium XVI, 4.

Tres liburnicas. De liburnicis jam egimus suprà Annal. XVI, 14.

Uno remigrante. Unus remigravit, scaphâ forte elapsus. Hic enim genuinus ejus loci sensus; ut fuisse dixi in priore Taciti editione, Tom. IV, p. 211.

Ut miraculum. Ita secundè provehebantur, ut res admiratione prorsus digna esset.

Circumvecti Britanniam. Unde sint profecti, quomodo circumvecti Britanniam, eorum denique navigationis cursum erroresque inquirere curiosum; diligentiusque dicendum.

De USIPIORUM cohorte Britanniam circumvectâ.

COHOREM illam Usipiorum ex Occidentali Britannia orâ soluisse innuit Tacitus, docet Dio O iij

LXVI, pag. 754. Ἐξαναχθέντες περίπλευσαν τὰ πρὸς ἑσπέραν αὐτῆς (Bretavias). Erat sanè ex iis copiis, quas Agricola instruxerat in eâ Britanniæ parte, quæ Hiberniam respicit, ut dictum est suprà cap. 24. Tres liburnicas furtim ascendere, nullâ navigandi arte, & eâ ætate, quâ vel inter peritos erat exigua. Hac illac rapti, ut fluctus ventusque eos ferebat, ὡς πὼ τὸ τε κῦμα, Εἰ δὲ γύρος αὐτὴς ἐφερε, Dio ibid. versūs Septentrionalem Britanniæ partem tendunt. Cùm oram legerent, nec sufficerent commeatus, congressi sunt cum plerisque Britannorum, nempe cum incolis provinciarum, quas nunc dicimus *Cumberland*, *Galloway*, *Cantire*, *Argyll*, *Inverness*, *Strathnavern*, &c. Cùm extremum insulæ sic attigissent, sinum *Pentland Firth* inter Britanniam & Orcadas, *les isles Orkney*, ingressi sunt, & in Orientalem Britanniæ partem flexere. Nova inde prælia cum incolis provinciarum *Cathness*, *Souterland*, *Murray*, *Buchan*, &c; eaque infeliora. Imprudentes enim in castra Romanorum, qui ibi tendebant, incidere, καὶ ἐλαθοῦ ἵκ τῷ ἐπὶ θάτερᾳ, πρὸς τὰ σπατόπεδα τὰ ταυτὴ ὄντα προσχόντες, Dio ibid. Novo hoc periculo territi, castrensesque pœnas magis, quam calamitosam, sed liberam, suam sortem exosi, liburnicas properè repetunt, & in altum provehuntur. Summa brevi fuit rerum omnium inopia: in iis angustiis, primùm infirmissimos suorum, deinde sorte ductos vesci cœpere. Tantis conflictati miseriis, tempestate aut ipso Oceani impetu in mare Sueicum, *la mer Baltique*, detruduntur. Ibi naves suas, viarum erroribus & regendi inscitiâ quassas, amiserere. Neminem eorum fortis misertum est, quod pro prædonibus haberentur. Igitur dum eluctantur, ut patrias sedes repetant, primùm a Suevis inter Albim & Vistulam, *l'Elbe & la Vistule*, mox a

Frisiis inter Amisiam & Rhenum, l'*Ems* & le *Rhin*, intercepti sunt. Quosdam eorum per commercia venumdatos, & in Romanam, id est, in sinistram Rheni ripam, (näm dextram tenebant Germani), adductos, indicium tanti casus illus-travit.

Agricola autem, post Graniensem victoriam, in publicas curas utilitatesque intentus, auditâ illâ Usipiorum fugâ, certusque eos ex Occiden-tali Britanniae parte in Orientalem Septemtrionali navigatione fuisse pervectos, classem misit, quæ, Tao æstuario, nunc *Firth of Tay*, profecta, litora illa ab Oriente in Occidentem relegeret, & dili-gentissimè exploraret, Dio loc. cit. Tunc primùm hanc oram novissimi maris Romana classis circum-vecta est, insulamque esse Britanniam adfirmavit: tunc Orcades, les isles d'Orkney, haec tenus famâ tantum vulgatae, fuere, eremigato Septemtrione, cognitæ & domitæ: tunc dispecta est Thule, les isles de Schetland, quas haec tenus nix & hiems abdebat, ut dictum est suprà cap. 10. Hinc verò intelligas non ad hanc Thulen, sed ad ipsam Britanniam referenda esse, quæ habet Statius, adulator magis, quam poeta, in Silvarum libr. V. Protreptic. ad Crispinum, Bolani, Britanniae præsidis, filium II, 54,

*Tu disce patrem, quantusque nigrantem
Fluctibus occiduis, fessoque Hyperione Thulen
Intrarit mandata gerens.*

Verum, antequam de Septemtrionali naviga-tione dicendi finem faciam, alterum proferam exemplum, quod, utinam fusiūs fuisset narratum, magnum naturæ arcanum reseraret. Auctore enim Plinio II, 67, Cornelius Nepos de Septem-trionali circuitu tradit, Quinto Metello Celeri, L. Afranii in consulatu collegæ (consules fuere

anno Urbis conditæ **DCXCIV**, ante Christum 60) sed tum Galliæ proconsuli, Indos a rege Sueorum dono datos, qui ex Indiâ commercii causâ navigantes, tempestatibus essent in Germaniam abrepti. Sic ante viginti annos, cùm Elisabetha Augusta, imperium Russicum regeret, Japonenses, commercii causâ navigantes, tempestatibus abrepti, ad oram imperii Russici, *le Kamtchatka*, appulere, unde Petropolim, Petersbourg, missi, ab Elisabethâ humanitate maximâ excepti & habiti sunt. At Indi, longiore errore, non modo Japonenses insulas, *le Japon*, oramque imperii Russici, *le Kamtchatka*, sed & Orientales ac Septemtrionales Siberiæ & Laponiæ oras, *la Sibérie*, *le pays des Samoiedes*, *la Laponie*, circumvecti ad Oceanum, mareque Sueicum, *la mer Baltique*, flexere; unde a rege Sueorum habiti, dono dati sunt Quinto Metello Celeri, Galliæ proconsuli. Sic casus fecit, quod a Batavis Russisque magnâ cum laude tentatum, nondum tamen præstitum est. Tales autem casus nunc rarissimi ob nauticæ rei scientiam, mutatos armorum usus, & politicas imperiorum leges. Olim, audentioribus barbaris, frequentes erant, & evenitorum, quæ hodie incredibilia videntur, feraces. Juvat ergo Usipiorum exemplum recentiore felioreque Francorum exemplo confirmare. Illud habet Eumenius in Panegyrico Constantii, cap. 18. *Recursabat quippe in animos illa sub divo Probo & paucorum ex Francis captivorum incredibilis audacia, & indigna felicitas, qui a Ponto usque correptis navibus, Græciam, Asiamque populati, nec impune plerisque Libyæ litoribus appulsi, ipsas postremò navalibus quondam victoriis nobiles ceperant Syracusas, & immenso itinere pervelesti Oceanum, quæ terras irrupit, intraverant: atque ita eventu temeritatis ostenderant nihil esse clausum*

piraticæ desperationi, quò navigiis pateret accessus.
Vide & Zosimum, libr. I, in fin.

Initio æstatis. Initio septimæ æstatis; anno Urbis conditæ DCCCXXXVII, Jesu Christi 84. Fortè scriptum olim *initio VII vel septimæ æstatis*, & numerus librariorum errore exciderit. Hæc enim æstas non eadem est, quæ memoratur suprà cap. 25. Mox enim infrà cap. 34. *Ii sunt quos proximo anno, unam legionem furto noctis aggressos, clamore debellastis.*

CAP. XXIX. *Ad montem Grampium.* Nunc le mont Grantzbaine, in Scotiâ, provinciâque Strathern.

Viridis senectus. Sic Virgilius, Æneid. VI, 304.

Jam senior: sed cruda deo viridisque senectus.

Sua quisque decora. Bellicæ virtutis insignia ac præmia.

Calgacus. In veteri & fabuloso Triadum libro appellatur Galauc ap Liennauc. Fortissimi hujus viri oratione nihil præstantius habet tum Græca, tum Romana antiquitas. Omnes dominationis Romanæ artes, vitia omnia, mirâ arte ac brevitate ibi explicat Tacitus.

CAP. XXX. *Ita prælium atque arma.* In hoc rerum statu prælium & arma, non fortibus tantum honesta, sed ipsis etiam ignavis necessaria & tutissima sunt. Priores Britannorum pugnæ, quibus adversus Romanos variâ fortunâ certatum est, spem alteram ac subsidium præsens habebant in nostris civitatibus, ad quas configere, in nostris manibus, quæ hostem vincere poterant. Nos enim, totius Britannæ nobilissimi, eoque in ipsis penetralibus, nempe in Caledoniâ, l'Ecosse, siti, nec servientium Gallorum litora aspicientes, oculos

quoque a contactu Romanæ dominationis inviolatos habebamus. Nos , terrarum ac libertatis extremos , recessus ipse ac sinus famæ (audacter & egregiè dictum , ut terrarum ac famæ finis exprimatur) in hunc diem defendit.

Nunc terminus. Ita libri omnes scripti & editi. At alium verborum ordinem postulat ipse sensus ; & legendum : *Nos terrarum ac libertatis extremos, recessus ipse ac sinus famæ in hunc diem defendit :* atque omne ignotum pro magnifico est : sed nunc terminus Britanniæ patet : nulla jam ultrà gens , nihil nisi fluctus & saxa : & infestiores Romani ; id est , fluctibus saxisque feriores. Quâ de re plura vide in priore Taciti editione , Tom. IV, pag. 214.

Et mare. Id est etiam mare scrutantur. Certè Romani mare scrutabantur , cùm Britanniam , ac maximè Caledoniam , peterent.

Soli omnium. Ex omnibus hominibus soli. *Omnium ad opes ne referas.*

Pacem appellant. Inde in scriptoribus tam sâpe occurrit *pax Romana* : & in nummis **PAX. PAX ORBIS TERRARUM.**

CAP. XXXI. Alibi servituri. Id Romanis cautum , ne in patriâ turbarent.

Polluuntur. Horum flagitorum exempla vidi- mus suprà Annal. XIV, 31.

Paludibus emuniendis. Viæ per silvas ac paludes , ob commeatum facilitatem , emuniendæ. Vide infrâ cap. 33. Tales viæ Romanæ exstant adhuc plurimæ in Scotiâ , quas accuratissimè descripsit eruditus Gordon , *Itinerarium Septentrionale* , in tabulâ Geographicâ.

Quotidie emit. Quotidie emit , tributa solvendo ; quotidie pascit , in annonam frumentum suppeditando. Postea cùm Romani , versâ fortunâ ,

barbaris tributa , quæ dona vocabantur , penderent pariter querebantur , uti videre est apud Salvianum , de Gubernatione Dei , Libr. VI. Dicimus donum esse , quod pretium est , & quidem pretium conditionis durissimæ ac miserrimæ. Omnes quippe captivi cum semel redempti fuerint , libertate potiuntur : nos semper redimimur , & numquam liberi sumus.

Arva nobis. Pars magna Scotiæ montibus horrida.

Trinobantes. De quibus dictum suprà Annal. XIV, 31.

Femina duce. Boudiceâ. Vide Annal. XIV, 31.

Coloniam. Camulodunum , nunc Colchester. Vide ibid.

Et libertatem non in præsentia laturi . . . non ostendamus . . . seposuerit? Ita quidem recentiores editiones : aliter autem veteres libri scripti & editi. Fortè scripserat Tacitus : *Et in libertatem , non in prædam certaturi , primo statim congressu vivide ostendamus quos sibi Caledonia viros seposuerit.* Vide priorem Taciti editionem Tom. IV, pag. 215.

CAP. XXXII. Pudet dictu. Singulariter dictum pro pudet dicere. Plautus tamen Bacch. Act. III, Sc. 1 , dixit :

Neque mei , neque tui intus pudicum est factis , quæ facias.

Et Valer. Maximus IX , 13 , num. 2. *Nec relatione familiaria , quia dictu fastidienda sunt.*

Sanguinem commodent. Romanorum dominationi vitam sanguinemque commodabant auxiliares Galli , Germani , & Britannorum plerique : diutius tamen hostes , quam servi ; ac proinde modico affectu , fide incertâ.

Nullæ Romanos conjuges. Cælibes vulgo erant

O vj

milites Romani. Vide jam dicta suprà Tom. III, pag. 455. Præterea in castris Romanis nullus feminis locus.

Nulli parentes fugam. Contrà verò , ut apud Germanos , sic apud Britannos , matres , conjuges hortamina pugnantibus gestabant , & inclinatas labentesque acies nonnumquam restituebant. Vide suprà de Moribus Germanorum cap. 7 & 8.

Nulla plerisque patria. Aut nulla plerisque patria est , aut alia , quām Britannia. Nulla plerisque patria erat , quòd , ut rectè explicat Ill. Huetius , obscuri , vulgò concepti ex scortis militaribus , in expeditionibus , in viis nati.

Paucos numero. Frustra vulgò emendatur paucos numeros. Rectè & eleganter dictum , paucos numero.

Circum trepidos. Crediderim circum redundare ; & petitum esse ex sequenti linea circumspectantes.

Neque tegit , neque vulnerat. Bene , & barbaro dignum. Ornatiūs , sed non meliūs , Livius X , 39. Non cristas vulnera facere , & per piēta atque aurata scuta transire Romanum pilum , & candore tunicarum fulgentem aciem , ubi res ferro geratur , cruentari.

Uspipii reliquerunt. Ut dictum est suprà cap. 28.

Senum coloniæ. Veteranis , quos irridens senes appellat , maximè constabunt coloniæ.

Et metalla. Quibus fodiendis victæ a Romanis gentes insudabant.

CAP. XXXIII. *Procurſu.* Fulgebant arma , cùm audentissimus quisque in pugnam procurrерet.

Priorum exercituum terminos. Veteres legati & priores exercitus in Britanniam bellaverant. At Agricola ejusque exercitus , hos terminos egressi , Caledoniam tenebant,

In frontem. In speciem : Gallicè en apparence.
Sic Seneca, Consol. ad Helviam, cap. 5. Itaque
ego in illis, quæ omnes optant, existimavi sem-
per, nihil veri boni inesse : quin inania & specioso
ac decepturo fuco circumlita inveni, intra nihil
habentia fronti suæ simile.

Hodie prosperrima sunt. Silvas enim evasisse,
transisse æstuaria, tantum itineris superasse hodie
prosperrimum est : sed si fugiebant Romani, pe-
riculosissimum erat.

Sed manus, & arma. Sic ferme Livius V, 42.
Arma tantùm ferrumque in dextris, velut solas
reliquias spei suæ, intuentes.

CAP. XXXIV. Unam legionem. Nonam legio-
nem ; ut vidimus suprà cap. 26.

Agminis sono. Hæc de hominum, equorum,
canum agmine intellige.

Non restiterunt. Ut Romanos oppugnarent.

Res & extremo metu. Ita Ms. Vatic. 3429,
& quidem aptè. Veteres editiones pro res habent
id. Inde Pichena emendavit, ideo extremo metu
corpora. Sic res & corpora memoravit Livius,
cùm Romanorum, captâ a Gallis Urbe, angus-
tias describeret : nec ullius rerum suarum relicti,
præter quàm corporum, vindices. Livius V, 42.

Quinquaginta annis. Aulus Plautius, mox
Claudius ipse, Imperator, Britannicam expedi-
tionem suscepere anno Urbis conditæ DCCXCVI;
ac proinde ad hunc annum U. C. DCCCXXXVIII
numerantur tantùm anni 42. Hic ergo quinqua-
ginta annis idem est, ac ferme quinquaginta
annis.

Aut causas rebellandi. Probate moras belli ex
locorum difficultate, causas rebellandi ex inco-
larum indole fuisse profectas.

Ita dispositus. Hic videtur fuisse utriusque exer-

citūs ordo. Per acclive montis Grampii jugum insurgebat maxima Britannorum pars : primum eorum agmen infra montem : eorum covinarii & equites media campi complebant. Exercitūs autem Romani media acies constabat peditum auxiliis , numero octo millibus : equitum tria millia cornibus affusa : post auxilia Agricola stabant pedes ante vexilla : retro legiones Romanæ , ante vallum dispositæ : in legionum vallique lateribus, equitum quatuor alæ ad subita belli retentæ. Exercitūs sui ordines diduxit Agricola , ne frons foret angustior. Locus autem pugnæ fuit in provinciâ Strathern , prope locum , qui nunc dicitur *Kirk of Comerie* , Gallicè *l'Eglise de Comerie*. Ibi exstant adhuc duo castra Romana , quæ exhibet eruditus Gordon , *Itinerarium Septentrionale* , Tabulâ V. Neque est quòd objiciant castra illa minora esse , quam ut exercitui Romano sufficere potuerint. Alia retro & vicina erant castra , quæ ante pugnam obtinebat Romanus exercitus. Exstant quoque , & ea exhibet Cl. Gordon in suâ tabulâ Geographicâ. Insigne autem victoriæ monumētum fuit ipsa urbs Victoria , nunc *Abernethy*. Non in ipso prælii campo , sed quod coimmodius & tutius , condita est ad Taum æstuarium , nunc *Firth of Tay* , in eâdem provinciâ Strathern.

CAP. XXXV. *Citra Romanum sanguinem*: Maxima enim Romanorum ducum laus & cura erat hostium audaciam externo sanguine ulcisci. Vide suprà Annal. XIV, 23.

Covinarius. Covinarius , auriga erat curtūs , cuius axis in modum falcis erat recurvus. Inde Mela III , 6 , Britanni dimicant non equitatue modò , aut pedite , verùm & bigis & curribus ; Gallicè armati , covinos vocant , quorum falcatis axibus utuntur. Quomodo autem e covinis , aut

effedis, pugnarent, docet Julius Cæsar Bell. Gall. IV, 33. *Genus hoc est ex effedis pugnæ: primò per omnes partes perequitant, & tela conjiciunt, atque ipso terrore equorum & strepitu rotarum, ordines plerumque perturbant: & cùm se inter equitum turmas insinuavere, ex effedis desiliunt, & pedibus præliantr.* *Aurigæ interim paullum e prælio excedunt, ut, si illi a multitudine hostium premantur, expeditum ad suos receptum habeant.* Ita mobilitatem equitum, stabilitatem peditum in præliis præstant; ac tantum usu quotidiano, & exercitatione efficiunt, ut in declivi ac præcipiti loco incitatos equos sustinere, & brevi moderari, ac flectere, & per temonem percurrere, & in jugo insistere, & inde se in currus citissime recipere consueverint.

CAP. XXXVI. *Brevibus cetris.* Cetræ, scuta erant, sed minora, ac lórea. Vetus Scholia festes ad Juvenalis Satyr. XI, 140. *Oryx animal minus, quam bubalus, quem Mauri Uncem vocant: cuius pellis ad citonas, corrigē cetras, proficit, scuta Maurorum minōra.*

Tungrorum. Plurima manent in Britanniâ harum cohortium monumenta, in quibus coh. TVNGRO. vel coh. I TVNGROR. MIL. Vide eruditum Gordon, loc. cit. Tabulâ XXXV & seqq.

Ad mucrones ac manus. Sic olim Germanicus Romanos, cum Germanis præliaturos, monuerat, ut densarent ielus, & ora mucronibus quærerent, Annal. II, 14.

Sine mucrone. Cæsim nempe pugnabant Britanni; punctim verò Romani, quâ pugnandi ratione citior certiorque mors venit. Hac de re plura habet Vegetius I, 12. *Complexum autem armorum Gallicè dicimus la mêlée: cùm cominus & collato gradu hostis petitur.*

In arcto. Vulgo, sed malè, *in aperto.* Franciscus Medicis, vir egregius, & in multis de Tacito bene meritus, optimè emendavit *in arcto*, ut postulat ipsa orationis series. Sic quoque de Hispanis, Livius XXVIII, 33, *in arcto pugna Romano aptior, quam Hispano militi futura videbatur.*

Et tractis. Melius, & fractis, ut volebat Muretus: vel potius, & prostratis, ut conjicere licet ex Ms. Vatic. in quibus legitur tantum & tratis. Puteolanus conjecturâ edidit, & tractis. Ad rem & veteris scripturæ vestigia aptius ac propius, & prostratis. Hoc verbo sâpe utitur Tacitus in Annalium & Historiarum libris. Victum prostratumque est primum agmen Britannorum, quod in æquo constiterat, ut modò dictum est cap. sup.

Equitum turmæ fugere. Hic nihil esse vitii; sed plurimum Cornelianæ brevitatis observat Ill. Huetius. Scilicet, utrumque pugnam cœpere pedites: fracto Britannorum primo agmine, quod in æquo constiterat, auxilia Romanorum aciem in colles erexere. Interim Romanorum equitum turmæ, cum Britannorum covinariis congressæ, eos sustinere non voluerunt, ideoque fugere. Tunc covinarii, & eos secuti equites Britanni, superbi quòd, fugato Romanorum equitatu, terrorem intulissent, peditum se prælio miscuere. At Romani, qui primùm, diductis ordinibus, incesserant, ne circumvenirentur, tunc, densatis agminibus, pugnabant, ut acrius resisterent. Itaque neque covinarii, neque equites Britanni eos penetrare potuere: præterea inæqualibus locis hærebant. Unde minimè equestris ea pugnæ facies fuit, cum covinarii & equites Britanni, ægre clivo stantes, simul cum equorum corporibus impellerentur; ac sâpe vagi currus, exterriti sine recto-

ribus equi, ut quemque formido tulerat, transversos, aut obvios incurvabant.

Hostium agminibus. Certè emendandum *cohortium agminibus.* Romanos Tacitus minimè dixit *hostes.* Vel ergo ut volebat Muretus, emendandum *nostrorum:* vel, quod ob veterem scripturam *commodius, cohortium,* ut monet Ernestus.

Aut obvios. Transversos, aut obvios equites covinariosque Britannos.

CAP. XXXVII. *Vacui.* Quia pugnæ expertes.

Pugnantium alæ. A fronte ad terga transvectæ equitum Romanorum alæ aversam Britannorum aciem invasere.

Catervæ armatorum. Jam hostium, id est, armatorum Britannorum catervæ paucioribus Romanis terga præstare.

Præfectus cohortis. Sic apud eruditum Gordon, loc. cit. Tabulâ XXXV, num. 2, memoratur Q. Florius Maternus, præfectus Cohortis primæ Tungrorum.

DEO

MARTI QVIN
FLORIVS MA
TERNVS PRAEF
COH. I. TVNG
V. S. L. M.

CAP. XXXVIII. *Sæpius concitari.* Verè observatum a Tacito Hist. II, 44, homines *extremâ desperatione ad iram sæpius, quam in formidinem stimulantur.*

Sævisse quosdam. Talem ferociam notavimus suprà, de Moribus Germanorum, cap. 37, p. 270.

Horestorum. Horesti , nunc *Angus* , Scotiae provincia , inter provincias *Strathern* & *Mernes* , Orientem versus.

Circumvehi Britanniam. De hac classe Britanniam circumvecta dictum est satis suprà ad cap. 28. Profecta est autem classis ab æstuario Tao , nunc *Firth of Tay* , aut e paulo superiore portu , qui nunc dicitur *Montross*.

Trutulensem portum. Portus ille passim appellatur *Rutupensis* , aut *Rutupinus* , nunc *Sandwich* ; & apud Ptolemæum II , 3 , Ρυτύπιαι . Ad hunc portum B. Augustinus , Britanniæ Apostolus , appulit. Vide Bedam , *Hist. Ecclesiastic.* I , 25. Fueritne quandoque a Romanis dictus *Trutulensis* , quòd magnâ truttarum , Gallicè des *Truites* , copiâ abundet , ut ab erudito Britanno audivi , dubito : maximè , cùm truttarum nomen neque apud Plinium , neque apud alios hujus ævi scriptores occurrat ; & *Rutupinum* nomen jam innoverat , ut patet ex Juvenalis *Satyr.* IV , 141 ,

Rutupinove edita fundo

Ostrea.

Omnis redierat. Nempe classis a Tao æstuario , *Firth of Tay* , maximam Britanniæ partem circumvecta , *Trutulensem portum* , *Sandwich* , tenuit ; inde , proximo hoc Britanniæ latere lecto , omnis , ne unâ quidem amissâ navi , Taum æstuarium , aut *Bodotriam* , *Firth of Forth* , incolumis rediit , ut tum exercitu , tum classe , nos varum gentium animi terrerentur.

CAP. XXXIX. *Nuper falsum.* Hoc anno , Urbis conditæ DCCCXXXVII , Domitianus , in Germaniam profectus , ne viso quidem hoste , Romam reverterat , & triumphaverat. Vide Dion.

LXVII, pag. 760. Nos quoque in Appendice Chronologicâ ad hunc annum.

Habitus & crines. Sic in Supplemento Annal. VIII, 38, vidimus Caium Caligulam proceris corporibus, & rutilatis crinibus Germanicam victoriam ementitum.

Alius occuparet. Domitianus, alienæ laudis osor, studia fori, civiles artes, ipsamque philosophiam in silentium egerat, viris, hac laude claris, neglectis, aut ex Urbe pulsis. Quæ tamen omnia frustra recidebant, si Agricola militarem gloriam nunc occuparet. Cetera facilius dissimulari; boni autem ducis decus, virtutem esse propriam Principis, qui Imperatoris nomine exercitibus praæfueret.

Secreto suo. Inde Plinius in Panegyr. XLVIII, Domitianum exhibit, *tenebras semper secretumque captantem, nec umquam ex solitudine suâ prodeuntem, nisi ut solitudinem faceret.*

Reponere odium. Differre odium.

CAP. XL. *Triumphalia ornamenta.* Non ipsum triumphum, qui ab anno Urbis conditæ DCCXL privatis hominibus tribui desit, ut solis Principibus Cæsaribusve reservaretur. Novum illud adulatio[n]is genus invenit Agrippa, ut Augusto gratificaretur. Hæc pluribus explicat Dio LIV, pag. 538. Ornamenta autem triumphalia fuere vestis triumphalis, aliaque triumphantium insignia.

Illustris statuæ. Triumphalis ac laureatae statuæ in foro. Vide suprà Annal. IV, 23. XV, 72. Hist. I, 79.

Majoribus reservatam. Illustrioribus consularibus reservatam.

Fretu[m] Oceani. Fretum illud nunc dicimus *le Pas de Calais.*

Compositum est. Sive istud verum est, sive apie ac convenienter ad Principis ingenium a populo confictum & compositum.

Successori suo. Successor Agricolæ videtur fuisse Sallustius Lucullus, de quo Sueton. in Domit. X. Domitianus interemit *Sallustium Lucullum*, Britanniae legatum, quod lanceas novæ formæ appellari Luculleas passus esset.

Per ambitionem. Ex vitæ splendore & numero comitatu.

Pauci interpretarentur. Tantam in tantâ modestiâ famam quærebant. Pauci modestiæ causas interpretabantur.

CAP. XLI. Laudantes. De hoc pessimo inimicorum genere Julianus, Imperator, Epist. 12, ad Basilium. Σύνεσμεν γὰρ ἀλλήλοις ἢ μετὰ τῆς αὐλικῆς ὑποκρίσεως μόνης· ἵνα, οἴμαι, σε μέχρι τῆς δεῦρο πεπειρᾶθαι· καθ' ἓν ἐπαινεῖντες, μισθοὶ τηλικῶν μῆτος, ἡλίκον χολεὶ τὰς πολεμιώτατας. Ita adhuc vivimus, ut aulicæ simulationis nihil fere retineamus; quam quidem tu fortasse adhuc expertus fuisti, quâ qui laudant majore odio prosequuntur, quam inimicissimos. Aulicam hanc simulationem expertus fuerat Julianus. Unde Mamerinus, in *Gratiarum actione Juliano*, cap. 5 & 6. Cùm sancti Principis mores atque instituta falsa opinionum, vituperationum licentiam submoverent, callido nocendi artificio accusatoriam diritatem laudum titulis peragebant, in omnibus conventiculis quasi per benevolentiam illa jactantes, Julianus Alamanniam domuit, Julianus urbes Galliæ ex favillis & cineribus excitavit. Illæ provinciæ obfessæ, expugnatæ, ferro ignique vastatæ beatores sunt his oppidis, quæ habet sine hoste Constantius. Æstates omnes in castris, hyemes in tribunalibus dedit. Ita illi anni spatia divisa

funt, ut aut barbaros domitet, aut civibus jura restituat, perpetuum professus aut contra hostem, aut contra vitia certamen. Hæ voces fuerunt ad inflammmandæ odia probris omnibus potentiores. Si enim comminisci aliqua flagitia tentassent, facile ipso splendore laudis & gloriæ refutarentur. Eadem Agricolæ virtus, idem periculum.

Amissi. De his plura Suetonius in Domitiano VI. Nos quoque in Appendice Chronologicâ ad annum Urbis conditæ DCCCXL & seqq. Vide supra Tom. V, pag. 405 & seqq.

Expugnati. Ita quoque verbo expugnare usus est Lucretius IV, 1007.

Reges expugnant, capiuntur, prælia miscent.

Et ripa. Ripâ Danubii & Rheni, qui erant imperii limites.

Præceps agebatur. Præceps ac periturus.

CAP. XLII. *Sortiretur.* Duo consulares anti-quissimi Asiam & Africam forte ducebant; utram scilicet earum regerent.

Occiso Civicâ. De quo Suetonius in Domit. X. Civicam Cerealem in ipso Aficæ proconsulatu interemit, quasi molitorem novarum rerum.

Domitiano exemplum. Occiso Civicâ, nec Agricolæ decretat consilium, ut invidiam Principis timeret, nec Domitiano exemplum, ut virtutem innocentis opprimeret.

Agisibi gratias. Caio Caligulæ agebant gratias & quorum liberi occisi, & quorum bona ablata erant, Senec. de Tranquillit. animi, XIV. Et apud Senecam, de Irâ, II, 33. Notissima vox est ejus, qui in cultu regum consenuerat: cùm illum quidam interrogaret, Quomodo rarissimam rem in aulâ consecutus esset, senectutem? Injurias, inquit, accipiendo & gratias agendo.

Salarium. Salarium illud fuisse decies sestertium, Gallicæ monetæ libras 194,531, videtur ex Dione LXXVIII, pag. 899. Hanc enim summam, τὰς πέντε καὶ εἴκοσι μυριάδας, Aufidio Frontoni, cùm ei Africæ Africæque proconsulatus negaretur, a Macrino, Imperatore, oblatam memorat.

Videretur emisse. Noluit Domitianus videri emisse salario, quod vetuerat: nam a Principe vetitum, ne Agricola provinciam adiret.

Odisse, quem læseris. Id maximè viget in potentiorum injuriis. Unde Seneca, de Irâ, II, 33. *Hoc habent pessimum animi magnâ fortunâ insolentes, quos læserunt, & oderunt.*

Famam fatumque. Id peccavere multi, qui sub Nerone & Domitiano famam mortemque provocavere.

Quibus moris est. Quibus moris est illicita, contumaciam nempe & inanem libertatis jactationem, mirari.

CAP. XLIII. *Extraneis etiam ignotisque.* Viri eruditi ad Agricolam referunt Græcum Antiphili, Byzantini, epigramma, fortè olim in Agricolæ villâ inscriptum, quod nunc exstat in Anthologiâ, lib. I, Tit. 37.

Κρηναῖαι λιβάδες, τε πεφεύγατε; πῦ σον ὕδωρ;
Τίς φλὸς ἀενάεις ἔσθεσεν ἀελίς;
Δάκρυσιν Ἀγρικόλα τετρίμψεθα. πᾶν δὲ σον ἡρεῖν
Ηὕ ποτε, οὐ κείνη διψὰς ἔχει σποδίν.

Eleganter vertit eruditus Grotius in Ms. latinâ suâ Anthologiâ:

Quò fontis latices, quò copia vestra recessit?
Perpetuas Solis quis calor hausit aquas?
Agricolæ luclu consumitur: illius, antè
Humida, nunc sunt pulverulenta, siti.

CN. JULII AGRICOLÆ NOTÆ. 335

Aliud agens populus. Hic populus, rebus suis intentus, quique aliud agit, quam virorum illustrium mortes curare.

Adfirmare ausim. Affirmat Dio LXVI, pag. 755. Tacito non diligentior, sed præceps magis, & deterioribus pronus.

CAP. XLIV. *Sexto & quinquagesimo anno.* Proclivi librariorum errore scriptum videtur LVI pro LIV; & emendandum *quarto & quinquagesimo.* Natus est enim Agricola Idibus Junii, seu die 13 Junii, Caio Caligulâ, tertium consule, & solo, anno Urbis conditæ DCCXCIII, J. C. 40. Excessit decimo Kalendas Septembres, id est, die 23 Augusti, Pompeio Collegâ & Cornelio Prisco, consulibus, anno U. C. DCCCXLVI, J. C. 93. Caium autem, tertium consulem, fuisse solum ac sine collegâ testantur Fasti Vindobonenses, c. CAESARE III SOLO. Cur solus tertium consulatum inierit, vide in Supplemento Annal. VIII, 29. Fieri tamen potest, ut Agricola mortem obierit sexto & quinquagesimo anno. Tunc Agricola non erit natus, Caio Cæsare, tertium consule: sed biennio antè, cum Caius, mortuo Tiberio, factus est consul primùm.

Speciosæ contigerant. Honestæ ac satis amplæ. Errat ergo Dio LXVI, pag. 754, qui Agricolam in ignominiâ & paupertate reliquum vitæ tempus, Principe Domitiano, transegisse scripsit. Οὐ δέ Αγρικόλας ἐν τε ἀτιμίᾳ τῷ λοιπῷ τῆς βίσι καὶ ἐν ἀδείᾳ . . . εἶχε.

Durare in hac . . . luce. Melius in hanc lucem. Sensus autem est: nam sicut in iis iniquissimis Domitianî temporibus grande solarium ferebat durare in hanc beatissimi saeculi lucem, ac Principem Trajanum videre, quod augurio votisque apud nostras aures ominabatur; ita quoque festi-

natæ mortis grande solatium tulit evasisse postrem illud tempus , quo Domitianus , non jam per intervalla ac spiramenta temporum , sed continuo , & velut uno iœtu , republicam exhausit.

Augurio votisque. Augurio votisque dignum se præstabat Trajanus , qui patrem habebat patricium , consularem , ac triumphalem , & ipse militari laude clarescebat , innutritus bellicis laudibus. Vide Plinium in Panegyric. cap. 9 & 16. Jam autem suprà dictum de Vespasiano , Hist. I , 50. Erant , qui *Vespasianum* & arma Orientis augurarentur.

Rempublicam exhaustit. Hanc Domitiani sævitiam notat indignabundus Juvenalis Satyr. IV , 150.

*Atque utinam his potius nugis tota illa dedisset
Tempora sævitiae : claras quibus abstulit Urbi
Illustresque animas impunè , & vindice nullo.
Sed periit , postquam cerdonibus esse timendus
Cæperat : hoc nocuit Lamiarum cæde madenti.*

CAP. XLV. *Obsessam curiam.* Hæc contigere anno Urbis conditæ DCCCXLVIII. Vide Appendicem Chronologicam , Tom. V , pag. 118.

Tot consularium. De his consularibus viris nobilissimisque feminis vide Appendicem Chronologicam , in quâ Domitiani res sumus prosecuti.

Carus Metius. Carus & Massa , nequissimi delatores , hominem nequorem se , Heliodorum formidavere. Unde Juvenalis Satyr. I , 35.

*Quem Massa timet , quem munere palpatur
Carus.*

Quem ad locum notat vetus Scholiaestes Juvenalis :
Massa morio fuisse dicitur , & Carus mimus...
Hi Neronis fuerunt liberti & deliciæ Augustis :
sed

Sed nequissimi delatores.... Masa autem & Carus, Heliodoro deferente, occisi sunt: cuius futuram delationem ita metuebant, ut ei munera darent. De Caro Metio nonnulla habet Plinius I, Ep. 5. & VII, Ep. 27. Vide & Martialem XII, 25. Unâ adhuc censebatur victoriâ, multis postea innotuit.

Albanam arcem. Albani, nunc *Allano*, ad duodecimum ab Urbe lapidem, viâ Appiâ, arx erat, seu egregia Domitianî villa. Manent adhuc amplissima ejus rudera, quæ summitatem montis, ubi Alba erat, pertingunt; egregiaque exstant vestigia in Principum Barberinorûni hortis. Vide eruditum Corradinum, *Vetus Latium*, Tom. II, pag. 190. De hac arce Juvenalis, Satyr. IV, 145.

*Quos Albanam dux magnus in arcem
Traxerat attonitos, & festinare coactos.*

Sententia Messalini. Noudum in Urbe, sed tantum intra Albanam arcem strepebant sanguinariæ Messalini sententiæ. Catullus Messalinus cæcus erat, eoque ad omnem Domitianî libidinem projectior, ad scelera audacior: de quo Plinius IV, Ep. 22. Incidit sermo de *Catullo Messalino*, qui luminibus orbatus, ingenio sœvo mala cœcitatis addiderat. Non verebatur, non erubescerebat, non miserebatur. Sæpius a Domitiano non secus ac tela, quæ & ipsa cœca & improvida feruntur, in optimum quemque contorquebatur. Adversus mortiferum hunc hominem intonat Juvenalis, Satyr. IV, 113.

*Et cum mortifero prudens Vejento Catullo,
Qui numquam visx flagrabat amore puellæ,
Grande, & conspicuum nostro quoque tempore monstrum,
Cæcus adulator, dirusque a ponte satelles,
Dignus Aricinos qui mendicaret ad axes,
Blandaque deveræ jactaret basia rhedæ.*

Massa Bebius Pessimus quoque delator, de quo jam dictum supra. Tunc sceleribus suis infamis, ipse reus erat, accusantibus Bæticis; quâ de re vide, inter Testimonia Veterum, Plinium VII, Ep. 33.

Helvidium. Helvidii Prisci, laudati supra Hist. IV, 5, filium, amicum Plinii Junioris, qui inultum eum non passus est. Vide Plin. IX, Ep. 13. Porro senator erat Tacitus, & cùm Publicius Certus Helvidio manus intulisset, eumque in carcерem duxisset, id sibi senatoribusque omnibus criminis ducit: quod etiam queritur Plinius loc. cit. *Inter multa scelera multorum, nullum atrocius videbatur, quām quòd in senatu senator senatori, prætorius consulari, reo judex manus intulisset.*

Rusticique visus. Supplebat Illustr. Huetius. *Nos Maurici & Rustici visus miseratione, nos Senecio innocentis sanguine perfudit.* Bene quidem. At melius, ut puto, e Ms. emendaretur, *nos Mauricum Rusticumque divisimus.* Fratres enim duos, sanguine, virtute, causâ conjunctissimos, divisorant, cùm Mauricum exilio, Rusticum morte multassent. Suffragatur quoque Ursinus, qui ait ita fuisse scriptum in vetere suo codice. Et certè in margine Ms. Vatic. 3429 scriptum est, *alius habet, nos Mauricum Rusticumque divisimus.* Arulenus autem Rusticus, quòd Pæti Thrasæ vitam scripsisset, eumque virum appellasset sanctissimum: Herennius Senecio, quòd Helvidium Priscum laudasset: Helvidius, filius, quasi scenico exodio, *sub personâ Paridis & Ænones, divortium Domitiani cum uxore tractasset,* morte damnati sunt. In exilium pulsus est Junius Mauricus, Rustici frater. Vide Suetonium in Domit. X. Tacitum supra, Vit. Agric. cap. 2. Plinium III, Ep. 11. Dionem libr. LXVII, pag. 765.

Subscriberentur. Et in crimen vocarentur.

Sævus ille vultus. Unde Plinius in Panegyric.
XLVIII. Ipse Domitianus occurſu quoque viſuque
terribilis, superbia in fronte, ira in oculis, fe-
mineus pallor in corpore, in ore impudentia multo
rubore suffusa. Verè Seneca Ep. XI. Quidam
numquam magis, quām cūm erubuerint, timendi
ſunt, quaſi omnem verecundiam effuderint. Sulla
tunc erat violentiſſimus, cūm faciem ejus ſanguis
invadefat.

Innocentiam Principi donares. Tamquam pro
virili portione Domitianum absolveres, teque
constantiā & alacritate tuā non interceptum ve-
neno probares.

Ante quadriennium. Quartum jam annum Romā
aberant Tacitus ejusque uxor. Ob hujus absentiæ
casum iis ante quadriennium periisse Agricolam
ſcribit.

Paucioribus tamen lacrimis. Egregiè dictum;
ut cetera Agricolæ ſuprema maximo ſenu narrata.

CAP. XLVI. *Ut ſapientibus placet.* Epicurei
animas cum corpore exſtingui docuere. Socrati ci
& Platonici eas immortales eſſe pronuntiarunt.
Inter utroſque mediam viam ingressi Stoici, magnas
quidem animas felices futuras, & æterna ſortituras
ſcripſere: quæ tamen, cūm Deo viſum erit iterum
iſta moliri, labentibus cunctis, & ipsæ, parvæ
ruinæ ingentis accessio, in antiqua elementa ver-
tendæ ſunt. Vide Senecam, Consol. ad Marciam,
cap. ult. Melius veriusque Macrobius, in Som-
nium Scipionis I, 14. *Obtinuit non minùs de*
incorporalitate animæ, quām de immortalitate
ſententia; eamque nationum omnium consensu
adſtruit Tullius libr. I. Tusculan. quæſtionum.

Temporalibus laudibus. In hac Agricolæ vitâ;
nihil ad poeticam pompam compositum, omnia
ad lugentium modestiam exacta. Inde non immor-

tales, sed temporales tantum & peituras laudes promittit Tacitus. Nec aliter egregius virtutis laudator & auctor Fredericus III, cùm Henricum, Prussiæ Principem, laudaret, scripsit: *O Prince, qui saviez combien vous m'étiez cher, combien votre personne m'étoit précieuse ; si la voix des vivants peut se faire entendre des morts, prêtez attention à une voix qui ne vous fut pas inconnue : souffrez que ce fragile monument, le seul, helas ! que je puis ériger à votre mémoire, vous soit élevé.* Eloge du Prince Henri, par S. M. le Roi de Prusse. Observaverim in hujus laudationis conclusione egregiam inesse Taciti imitationem, aut potius eumdem naturæ sensum atque impec-tum.

Similitudine decoremus. Ita optimè emendavit eruditus Grotius. Perperam in libris editis, militum decoramus. Placebat Ursino e veteri suo codice, in quo scriptum, admiratione potius, quam œmulatione decoremus, ut corrigeretur: admiratione te potius, quam œmulatione, & si natura suppeditet, imitatione virtutum decoremus. Sed nec satis certa codicis ab Ursino laudati fides ; & potior est emendatio a Grotio proposita.

Famamque. Mallet Muretus *formam*. Quod quoque nobis plurimum placet. Quis enim ferat *famam animi . . . complectantur ?* maximè cùm mox sequatur, *forma mentis æterna :* & infrà in Dialog. de Oratoribus, cap. i, dum *formam sui quisque & animi & ingenii redderet.* *Famam* tamen retinuere interpres plurimi.

Superstes erit. Non modò superstes erit Agricola ; sed ejus vita absolutissimum laudationis exemplar semper habebitur. Id unum, ad amplificandam & apud nos æternandam Agricolæ famam, optaverim, ut vita hæc, quam Illustrißimus Nivernensium Dux Gallico sermone

reddidit, publici juris fiat: miro tum virtutum & literarum certamine quis eorum sit maximus, isne qui ita vixerit, an qui ita scripserit, an qui ita fuerit interpretatus.





N O T Æ
IN DIALOGUM
C. CORN. TACITI
DE ORATORIBUS;
ET
IN SUPPLEMENTUM.

C. CORNELII TACITI DIALOGUS DE ORATORIBUS. Ita Mss. Vatic. 1518, 1862 & 4498. In editione principe, *Cornelii Taciti equitis Romanus dialogus de Oratoribus claris.* Puteolanus & Beroaldus, *CORNELII TACITI EQUITIS ROMANI DIALOGUS AN SUI SÆCULI ORATORES ANTIQUORIBUS ET QUARE CONCEDANT.* Deinde plurimi vel Quintiliano, vel M. Apro, vel Curiatio Materno dialogum hunc vindicare voluere: at nullà nixi auctoritate, ne probabilibus quidem argumentis. Dialogus hic habitus est, Principe Vespasiano, ejusque imperii anno sexto. Tunc scriptor dialogi erat *juvenis admodum*, ut constat ex primo capite. Quod Quintiliano, Aprove, aut Materno, tum grandævis, minimè convenit. At, inquit Lipsius, nec Tacitus tunc fuit admodum juvenis, siquidem honores cœpit sub Vespasiano. Miror id objici a viro eruditissimo, qui honores illos fuisse juventutis proprios ipse

noverit, sæpeque in suis ad Tacitum Notis monuerit. Præterea biennio post habitum hunc dialogum, cùm Tacitus uxorem duceret filiam Cn. Julii Agricolæ, ipse testatur se adhuc esse juvenem, ut patet ex Vitâ Agric. cap. 9. *Consul egregiæ tum spei filiam juveni mihi despondit, ac post consulatum collocavit.* Nec melius objiciunt styli diversitatem: diversus esse debet pro diversâ scriptoris ætate: diversus quoque ob argumentorum diversitatem. Nemo sanè eumdem in dialogo, quem in Historiarum Annaliumque libris stylum requiret. Insuper, quæ dialogi laus est, studuisse videtur Tacitus, ut cujusque ingenium redderet, nec rationes modò, sed & numeros referret. Inde ipse, cap. 1. *Ita non ingenio, sed memoriâ ac recordatione opus est, ut quæ a præstantissimis viris & excogitata subtiliter & dicta graviter accepi... dum formam sui quisque & animi, & ingenii redderet, iisdem nunc numeris, iisdemque rationibus persequar, servato ordine disputationis.* Verùm licet aliorum ingenio Tacitus indulserit, non ita tamen sui est oblitus. Nonnumquam emicat ejus vis & eloquentia. Multa quoque occurunt, quæ ejus stylum redolent, ut in Notis sæpe suprà fuit observatum. Ergo donec validiora argumenta proferantur, ob auctoritatem veterum librorum, quæ maxima esse debet, dialogum hunc Tacito minimè abjudicaverim. Suffragatur & Pomponius Sabinus, mediæ ætatis grammaticus, qui unum hujus dialogi locum, Tacitumque auctorem laudat. Vide Testimonia Veterum.

CAP. I. *Juste Fabi. L. Justus Fabius consul fuit suffectus anno Urbis conditæ DCCCLXIV, Jesu Christi IIII. Duas epistolas ad illum scripsit Plinius I, Ep. II. & VII, Ep. 2.*

Deserta & laude. Emendandum videtur, *diserta*, at *laude eloquentiæ orbata*. Sic emendandum patet tum ex hoc capite, *horum autem temporum diserti*; tum ex dialogi fine, cap. 41. *Credite, optimi, & in quantum opus est, disertissimi viri.* Et sic alibi passim.

Vel easdem. Hæc redundare Mureto Lipsioque videntur. Fortè tamen non ita peccant, maximè cùm Messala & Maternus in multis easdem corruptæ eloquentiæ causas afferant.

CAP. II. *Curiatius Maternus.* Maternum, sophisten, quòd exercendi suî causâ in Tyrannos diceret, a Domitiano occisum memorat Dio LXVII, pag. 765. Idemne sit ac Curiatius Maternus, de quo hic agitur, non dixerim.

Catonem. Tragœdiam, cuius Cato erat argumentum.

M. Aper. Qui fortè pater fuit M. Flavii Apri, consulis anno U. C. DCCCLXXXIII.

Julius Secundus. *Elegantiam Secundi laudat Quintilianus, Instit. Orat. XII, 10.* De ejus laudibus plura dicentur infrà cap. 23.

In quantum. Id est, quantūm satis erat. Sic *tantum usurpavit Tacitus de Moribus German.* cap. 45.

CAP. III. *Leges tu quidem si volueris.* In editione principe, *leges tu quidem sibi debueris.* Inde Puteolanus, quem omnes sunt secuti, emendavit, *si volueris.* Aliter tamen, ac fortè melius MSS. Vatic. 1862 & 4498, *leges tu quid Maternus sibi debuerit, & agnosces &c.* Ita quoque Ms. Vatic. 3518, sed pro *quid Maternus habet quod Maternus.*

Thyestes. Alterum, & notum, tragœdiæ argumentum.

Clientelæ. Clientelæ coloniarum & municipiorum, quæ Maternum elegerant patronum. Sic apud Cl. Gori *Inscriptiones Antiq.* Tom. I, pag. 65, videre est egregiam Ferentinorum tabulam, quâ censem legatos mitti AD. T. POMPONIVM. BASSVM. CLARISSIMVM. VIRVM. QVI. AB. EO. IMPETRENT. IN. CLIENTELAM. AMPLISSIMAE. DOMVS. SVAE. MVNICIPIVM. NOSTRVM. RECIPERE. DIGNETVR. PATRONVMQVE. SE. COOPTARI. TABVLA. HOSPITALI. INCISA. HOC. DECRETO. IN. DOMO, SVA. POSITA. PERMITTAT.

Domitium. Romanum tragœdiæ argumentum. Domitius ille fuisse mihi videtur, qui, Julio Cæsari infensissimus, Pharsalicâ acie occubuit. De eo plura vide apud Suetonium in Ner. II.

CAP. V. Saleium Bassum. De quo Quintilianus, X, 1, *Vehemens ac poeticum ingenium Saleii Bassi fuit, nec ipsum senectute maturum.*

Quatenus arbitrum. Quando te, Secunde, arbitrum litis hujus inveni. *Quatenus pro quando usurpatum jam vidimus* suprà Annal. III, 16.

Amittit studium. Id est, omittit. *Amittere* pro *omittere* dictum quoque suprà Annal. II, 71. & XIV, 26.

Vel in judicio. Apud centumviros; de quibus mox dicetur infrà cap. 7.

Nuper Eprius Marcellus. Id narratum suprà Hist. IV, 6.

Qui accinctus. Melius, quâ accinctus: ut Ursinus & Acidalius jam voluere.

CAP. VI. Orbitati. Cujus magna erant in Urbe pretia. Vide suprà Annal. III, 25. & XIII, 52. Quantò Roma fuit corruptior, tanto magis acrevit orbitatis favor. Inde Ammianus Marcellinus XIV, 5. *Vile esse quidquid extra Urbis pomærium*

nascitur æstimant, præter orbos & cœlibes; nec credi potest quā obsequiorum diversitate coluntur homines sine liberis Romæ.

Novam & recentem curam. Curam eodem sensu usurpavit Tacitus Annal. III, 24. Aliorum exitus, simul cetera illius ætatis memorabo, si effectis in quæ tendi, plures ad curas vitam produxero.

CAP. VII. *Latus clavus.* Jus senatoriæ dignitatis, cuius insigne erat latus clavus, seu vestis latis ex purpurâ plagis distincta. De hac dignitate, ejusque auctore Principe, Plinius II, Ep. 9. *Ego Sexto latum clavum a Cæsare nostro, ego quæsturam impetravi: meo suffragio pervenit ad jus tribunatū petendi, quem nisi obtinet in senatu, vereor ne decepisse Cæsarem videar.*

Homo novus. Cujus majores nondum inclauerant.

Minime favorabili. Julium Secundum, Curiatum Maternum, & M. Aprum, Gallos fuisse manifestum est ex cap. 10. Minimè autem favorabilis civitas, quod tum penes Romanos erat omnis favor. Vide suprà Ammianum Marcellinum, modò laudatum cap. 6.

Tribunatum. Tribunatum plebis; ut suprà in Vitâ Agric. cap. 6.

Centumviro. Fuere Romæ triginta quinque tribus: e singulis tribubus, tres viri deligebantur; qui licet forent centum & quinque, rotundè tamen centumviri dicebantur. Erant divisi in quatuor tribunalia, & in basilicâ Juliâ cogebantur: non de facto, sed de æquitate, & jure pronuntiabant. Præcipuas centumvirales causas recenset Cicero, de Orat. I, 38, *Iactare se in causis centumviralibus, in quibus usucaptionum, tutelarum, gentilitatum, agnationum, alluvionum, circum-luvionum, nexorum, mancipiorum, parietum,*

luminum, stillicidiorum, testamentorum ruptorum, aut ratorum, ceterarumque rerum innumerabilium jura versantur. Judicij centumviralis illustre exemplum habet Plinius VI, Ep. 33.

Ascendere. Nec aliter de libertis dictum suprà in libro de Moribus Germanorū, cap. 25. *Ibi enim & super ingenuos & super nobiles ascendunt.*

Tum habere. Hunc locum feliciter restituit Ill. Huetius, & quidem aptissimè ad mores hujus saeculi, quo Stoica vigebant placita. Eorum enim summa est, haec tantum habere bona, quæ in se, non in alio, oriuntur. Malè libri editi, *tum abire quod si non in alio oritur.*

Codicillis. Codicilli, literæ erant quibus Princeps dignitates largiebatur. Hos codicillos memorat Suetonius in Tiber. XLII.

Negotiosos. Hic negotiosi sunt homines. Suprà Annal. XIII, 41, *negotiosos dies*, quibus negotia peraguntur, vidimus.

Tunicatus. Tunicatus hic populus, seu misella plebs, non togâ, sed tunicâ induebatur.

Et digito demonstrat. Inde Persius I, 28.

At pulchrum est digito monstrari & dicier hic est.

CAP. VIII. *Modo locutus sum.* Suprà cap. 5.

Crispum Vibium. Jam memoratum suprà Annal. XIV, 28. De quo & Quintilianus, *Instit. Orat.* X, 1, *Vibius Crispus, compositus, & jucundus, & delectationi natus: privatis tamen causis, quam publicis, melior.*

Non minus esse. Supplendum videtur, *notos.*

Capuae aut Vercellis. De Capuâ dictum suprà Annal. IV, 57. *Vercellæ, nunc Verceil, dans le Piémont.*

Ter millies sestertium præstat. Gallicæ monetæ libræ sunt 58,365,075.

Supra dixi. Cap. 6.

Cæsar is amicitia. Vespasiani.

Patientissimus veri. Quàm facilem literatis viris se præberet Vespasianus videre est apud Plinium III, Ep. 5. Ut eos audiret, noctibus utebatur. Inde fortè *patientissimus veri* dicitur.

CAP. IX. Agamennon & Jason. Tragœdias scribebat Maternus; ut jam vidimus suprà. Hæc autem sunt tragœdiarum argumenta.

Rogare ultro. Iis temporibus, quàm rogandi ambiendique auditores, quæ foret eorum desidia & superbia docet elegantissima Plinii I, 13, epistola.

Quingenta sestertia. Gallicæ monetæ libras 97,²65.

Se ipsum colere. Quantò tamen pulchrius, si ita res familiaris exigat, se ipsum colere, suum ingenium, aut ut emendavit & edidit Lipsius, suum genium, propitiare, suam experiri liberalitatem, quàm Principis numen colere, propitiare, beneficumque experiri. Fortè tamen redundat, *suum ingenium propitiare.* Certè hæc absunt a veteribus editionibus; & in Ms. Vatic. 4498, legitur, *se ipsum colere, sive ingenium propitiare.* Quod apertè glossema recente inque interpretationem indicat.

Recedendum est. Melius *secedendum est*; ut infrà cap. 12. *Secedit animus in loca pura.*

CAP. X. Mediocres poetas. Verè enim Horatius, in Arte poeticâ, vers. 372.

Mediocribus esse poetis

Non homines, non dī, non concessere columnæ.

Omnesque ejus partes. Ego verò omnem eloquentiam, sive oratoria sit, sive poetica, omnesque ejus partes sacras & venerabiles puto.

Cothurnum vestrum. Tragœdias.

Nicostrati robur. De Nicostrato Quintilianus, Inst. Orat. II, 9. At si fuerit, qui docebitur, ille, quem adolescentes senem vidimus, Nicostratus: omnibus in eo docendi partibus similiter utetur, efficietque illum, qualis hic fuit, luctando pugnandoque (quo utroque certamine iisdem diebus coronabatur) invictum. Nicostratum quoque laudat Pausanias V, 21, & eum fuisse origine Cilicem docet.

Ab auditoriis. In quibus tragœdias suas Mæternus recitabat.

Obnoxium sit offendere. Tam poetarum, quam oratorum, studium obnoxium est offensæ.

Pro Catone. De quâ tragœdiâ jam dictum suprà cap. 2 & seq. Vigente imperio, novâque Vespasiani domo, Cato, libertatis adsertor, invidiosum erat tragœdiæ argumentum, & offensis obnoxium.

Hinc ingentes. Hic aliquid deest. Supplendum puto. Sentio quid responderi possit: placere hæc argumenta: hinc ingentes ex his assensus; hinc in ipsis auditoriis præcipue laudari, & mox omnium sermonibus ferri. Fateor. At quanto plus celebritatis, tanto plus offensæ; tanto ruina certior. Tolle igitur quietis & securitatis excusationem, &c.

Adversarium superiorem. Tolle igitur hanc quietis, & securitatis excusationem, offensæ scilicet minus obnoxium esse poetarum, quam oratorum studium, cum ipse tibi sumas adversarium superiorem, ac Principes offendas.

CAP. XI. Laudat. Melius laudare.

In Nerone improbam. Improba hæc in Nerone carminum studia, quæ Lucano aliisque multis in exitium cessere, narravit Tacitus Annal. XIV, 16. Improbos quoque Neronis versus recitat & irrideret Persius I, 99.

*Torva Mimalloneis implerunt cornua bombis,
Et raptum vitulo caput ablatura superbo
Bassaris, & lyncem Mænas flexura corymbis
Evion ingeminat: reparabilis adsonat Echo.*

Hi enim versus Neronis sunt, teste vetere Persii Scholiaсте. Vesananum illum furorem, Neronis potentiam subnixum, fregit Maternus. Ergo recitatione tragœdiarum famam ingressus est post annum Urbis conditæ DCCCXII.

Vatinii potentiam. Is sanè fuit Vatinius, qui inter fœdissima Neronianæ aulæ ostenta fuit. De quo plura suprà Annal. XV, 34. Scurrilibus jocis ludisque studiorum sacra profanabat. Malè libri omnes editi, *vaticinii*. Emendandum, *Vatinii*, rectè monuere eruditæ viri J. Fr. Gronovius & de la Monnoye.

Quam æra. Eruditus Cujacius emendabat, *quam cera*. At potius intellexerim tum de æreis statuis, tum maximè de tabulis æneis, quæ in patronorum domibus a coloniis municipiisque ponebantur. Talem tabulam memoravimus suprà cap. 3.

Nam statum hucusque. Sic emendavit Lipsius. Et bene quidem. Malè veteres editiones, *cujusque*. Hic autem refutat Maternus, quæ Aper attulit cap. 5. *Si proprium periculum increpuit, reo & periclitanti firmissimum esse eloquentiæ præsidium simul & telum.*

Pro alterius discrimine. Optimè. Contrà verò vulgus oratorum, delationibus infame, cùm auctoritate famâque, Nerone Principe, viguissent, tunc sub æquissimo Vespasiani principatu, in jus vocabantur, & pro suo ipsi discrimine verba in senatu faciebant; ut contigit Eprio Marcello, quem Aper laudaverat suprà cap. 5.

CAP. XII. *Commoda mortalibus.* Bene veréque Muretus ac Schelius, *commendata mortalibus.*

DE ORATORIBUS NOTÆ. 351

Et sanguinantis eloquentiæ. Lucrosa hæc & sanguinaria eloquentia ter millies seftertium Epio Marcello præstiterat ; ut vidimus suprà cap. 8.

Tu dicebas. Suprà cap. 5.

Aut gloria major. Fortè scriptum olim , aut gloria major umquam contigit. Nam in Mss. Vatic. est hic duorum triumve verborum lacuna.

Lysiae , aut Hyperidis. Græcorum oratorum , quorum certè nunc multò minor est fama , quàm Euripidis , aut Sophoclis ; quorum nomina , dum literarum studia vigebunt , in dies magis ac magis inclarescent.

Afinii. Afinii Pollionis ac Corvini Messalæ : eorum laudes vide suprà Annal. XI , 6. Quintilianus , Instit. Orat. XII , 10 , commendat diligentiam Pollionis , dignitatem Messalæ.

Varii Thyestes. De utrâque tragœdiâ Quintilianus , Instit. Orat. X , 1 , Jam Varii Thyestes cuilibet Græcorum comparari potest. Ovidii Medea videtur mihi ostendere , quantum vir ille præstare potuerit , si ingenio suo temperare , quàm indulgere maluisset. Ambæ illæ tragœdiæ periere , magno Romanarum literarum detrimento : cùm vix supersit , unde æstimemus quid Romani in tragœdiâ valuerint.

CAP. XIII. *Felix contubernium. In privatâ domesticâque vitâ felix illud vatum Musarumque contubernium.*

Quasi Augustum. Apud Romanos moris fuit in theatro præsentem Principem venerari.

Secundus Pomponius. Scriptor tragœdiarum ; de quo diximus suprà ad Annal. XI , 13 , Tom. III , pag. 384.

Afro Domitio. Cujus laudes vitiaque vide suprà Annal. IV , 52. & XIV , 19. Quintilianus , Instit. Orat. XII , 10 , maturitatem Afri prædicat.

Crispus & Marcellus. Vibius Crispus & Marcellus Eprius, quorum exempla allata sunt suprà cap. 8.

Indignantur. Indignantur, quod causidicis tantum debere cogantur. Quanta enim tunc causarum pretia, cum causidici ad eas opes, quas vidimus suprà cap. 8, eveherentur.

Ut Virgilius ait. Virgilius, Georgic. II, 475.

Me verò primum dulces ante omnia Musæ,

Quarum sacra fero ingenti percussus amore,

Accipiant.

Illosque fontes. Sic & Virgilius Georgic. II, 485.

Rura mihi & rigui placeant in vallibus amnes;

Flumina amem silvasque inglorius. O, ubi campi

Spercheos, & virginibus bacchata Lacænis

Taygeta: ô, qui me gelidis in vallibus Hæmi

Sistat, & ingenti ramorum protegat umbrâ.

Pro pignore. Pro pignore securitatis; ut scribere cogeantur, qui delationibus fœdâque eloquentiâ immensas opes paraverant. Sic & ipse Agricola, vir optimus, sed sub Domitiano pessimo Principe, testamentum pro pignore scripsit, ut vidimus suprà in vitâ Agricolæ cap. 43.

Cui velim. Contrà verò oratores, ut opum suarum, iniquè comparatarum, partem liberis, iisque quibus vellent, relinquenter, Principem, Principisque libertos heredes, scribere tenebantur.

Non mæstus & atrox. Quod sæpe contingebat oratoribus, qui & sub malis, & sub bonis Principibus, nonnumquam puniebantur.

Coronatus. Ex usu apud Romanos antiquissimo, quem lex ipsa duodecim tabularum sanciverat, corona virtute parta & ei qui peperisset, & ejus parenti, post mortem imponebatur. Inde Cicero, de Legibus II, 24. *Illa jam significatio est, laudis*

ornamenta ad mortuos pertinere, coronam virtute partam, & ei qui peperisset, & ejus parenti sine fraude esse lex impositam jubet. Expressius autem Plinius XXI, 3. Semper tamen auctoritas coronarum, vel ludicro quæfitarum, fuit. Namque ad certamina in Circum per ludos & ipsi descendebant, & servos suos quique mittebant. Inde illa XII tabularum lex: Qui coronam parit ipse, pecuniave ejus, virtutis ergo duitor ei (id est, dator ei, vel ei detur). Quam servi equive meruissent, pecuniâ partam lege dici, nemo dubitavit. Quis ergo honos? ut ipsi mortuo, parentibusque ejus, dum intus positus esset, forisve ferretur, sine fraude esset imposta. Alias in usu promiscuone ludicrœ quidem erant.

Nec consulat. Cum ipsa reorum memoria saxe damnaretur, tituli, imagines, ceteraque honorum monumenta abolerentur, consulebantur vates, ut, quid esset timendum audiretur: rogabantur Principes, ne tantum sœvirent.

CAP. XIV. *Instinctus.* Poetarum est esse instinctos, & quasi divino spiritu afflatos.

Vipstanus Messala. Jam memoratus suprà Hist. III, 10. & IV, 42.

Julii Asiatici. Is mihi videtur esse Asiaticus, Galliarum dux, qui pro Vindice bellaverat; ut vidimus suprà Hist. II, 94.

Quam in Apro. Cl. Morabin, Gallicus hujuscce dialogi interpres, voculam supplet, quam in Apro parum, quod, &c. Vulgatam scripturam retinet Cl. de la Monnoye, sed hæc ironicè dicta fuisse contendit: quod verius puto.

Scholasticis controversiis. Harum controversiarum exempla habemus in Senecæ & Quintiliani declamationibus.

Veterum oratorum. E quorum libris manent

aurea Ciceronis Philosophica opera atque oratoria.

CAP. XV. Fratris tui. Aquilii Reguli ; de quo
suprà Hist. IV, 42. Ei insanum potius ingenium,
quam eloquentia , teste Plinio I , Ep. 5. & IV,
Ep. 7.

Sacerdos iste Nicetes. Sacerdos Nicetes , Smyr-
næus fuit , rhetor nobilis , a vetere dicendi genere
alienus , & quasi numine Bacchi actus , dithy-
rambos canebat , teste Philostrato , Vit. Sophist.
cap. 19. Υπόσαυκος γὰρ οὐδὲ διθύραμβῶν . τὸς δὲ
εὐοίας οἴδας τε καὶ παραδοξεῖς ἐκδίδωσιν . Licet a dis-
cipulis non audiri desideraret , ut scribit Seneca ,
Controvers. IV, 25 , frequentabatur tamen , &
auditorem Plinium habuit , Plin. VI , Ep. 6.

Ephesum aut Mitylenas. De Epheso dictum
suprà Annal. III , 61. de Mitylenis , Annal. VI , 18.

Contentis scholasticorum clamoribus. Quòd ,
corruptâ apud Græcos eloquentiâ , ut Sacerdos
Nicetes , sic Ephesi & Mitylenarum rhetores ,
abstrusas sententias & altè sonantia verba aucu-
pabantur. De scholasticis , seu rhetoribus , vide
infra cap. 29.

Afer aut Africanus. Quintilianus Instit. Orat.
XII , 10 , vires Africani , maturitatem Afri com-
mendat. Pluribus eos laudaverat suprà libr. X , 1.
Eorum , quos viderim , Domitius Afer , & Julius
Africanus , longè præstantissimi. Verborum arie
ille , & toto genere dicendi præferendus , quem
in numero veterum locare non timeas : hic con-
citatior , sed in curâ verborum nimius , & com-
positione nonnumquam longior , & translationibus
parum modicus.

Afinio. Afinio Pollione , de quo dictum suprà
cap. 12.

CAP. XVI. *Mille fere & trecentis annis.* Rectè
MSS. Vatic. nam inter belli Trojani initia & sex-
tum Vespasiani annum, quo hic dialogus habitus
est, intercessere anni 1268. Malè libri omnes
editi, *mille fere & cc annis.*

Quam cccc annos. Perperam in veteribus
editionibus *ccc annos.* Mortuus est enim De-
mosthenes anno Urbis conditæ *ccccxxxii*: an-
nus verò Vespasiani sextus fuit ab Urbe conditâ
DCCXXVIII. De Demosthene, & de Hyperide,
Demostheni proximo, multa habet Cicero, de
Claris Orat. cap. 35 & 36.

Annorum XII M DCCCCLIV. Malè in libris
hactenus editis *annorum XII M DCCCCLIV.* Magnus
enim annus, auctore Cicerone in Hortensio,
complectebatur annos duodecim millia nongentos
quinquaginta quatuor. Rem illustrabit definietque
Servius.

De magno anno.

MAGNI anni originem explicat Servius ad hunc
Virgilii versum, Æneid. III, 284.

Interea magnum sol circumvolvitur annum.

«*Magnum*», ne putaremus lunarem esse, propte-
rea dixit. Antiqui enim tempora sideribus com-
putabant, & dixerunt primò lunarem annum
triginta dierum: unde invenitur in aliquibus vita
nongentorum annorum, scilicet lunarium. Postea
solstitialis annus repertus est, qui duodecim con-
tinet menses. Mox majore curâ *magnum* annum
esse voluerunt, omnibus planetis in eundem re-
currentibus locum, & hoc fit, ut diximus, secun-
dum Ciceronis Hortensium, post annos duodecim
millia nongentos quinquaginta quatuor, solstitiales
scilicet. Bene ergo nunc «*magnum*» addidit, ne

Lunarem intelligeremus. Bene «Solis» nomen, ne quia dixerat «magnum», illum VII planetarum acciperemus & Platonicum; de quo varia & a Metone, & ab Eudoxo, & a Ptolemæo, & ab ipso Tullio. Nam in libris deorum naturæ tria millia annorum dicit magnum annum tenere. In numero duodecim millium nongentorum quinquaginta quatuor annorum concordat vetustissimus Servii Ms. codex, qui fuit olim in Bibliothecâ Collegii Ludovici Magni. Inde erroris arguas, & facile emendes alterum Servii locum, in numeris omnino corruptum. Sic enim ibi Servius ad Æneid. I, 273. Secundum Tullium magnus annus, qui tenet XII DLIV annos: ut in Hortensio, «Et » horum annorum, quos in fastis habemus, magnus » XII DLIV annos amplectitur ». Certissimè emendandum XII DCCCCLIV, ut patet tum e Tacito, tum ex ipsis, priore loco allatis, Servii verbis, hoc fit, ut diximus, secundum Ciceronis Hortensium, post annos duodecim millia nongentos quinquaginta quatuor. Idem suadet Solinus, cap. 33. Sic enim ibi de phœnice. Cum hujus vitâ magni anni fieri conversionem, rata fides est inter auctores: licet plurimi eorum magnum annum non quingentis & quadraginta, sed duodecim millibus nongentis quinquaginta quatuor annis constare dicant.

Rudi autem adhuc Astronomiâ, varia fuere juxta varios scriptores magni anni spatia, quæ vide apud Riccioli, Almagest. III, 13, Tom. I, pag. 130, & apud Marshamum, Canon Ægypt. pag. 9. In hac majore Astronomiæ luce nondum consentiunt Astronomi. Magnum enim annum Riccioli definit annis 25920. Tycho Brahe annis 25816. Cassini annis 24800.

Huic magnæ annorum conversioni, Platonicorum commentis celebratissimæ, famam addidit

inquieris mortalium animus, dum præterita laudat tempora, præsentia fastidit, futura optat sperataque semper meliora. De magno anno plura non addiderim, maximè cùm hanc materiam eruditè tractaverit Cl. de la Nauze, *Mémoires de l'Academie Royale des Inscriptions*, Tom. XXII, pag. 82 & seqq. Id unum memoraverim, quod non ita compertum. Magnum quoque annum habent Sinenses, cùm conjunguntur planetæ. Recens inventum, nec usurpatum ante Dynastiam Principum Han, quæ imperare cœpit anno 205 ante Jesum Christum. Nec constantem apud eos esse magni illius anni durationem, hoc sæculo certissimè compertum habuimus. Nempe, uti accepimus ex literis Mss. Patris Gaubil Soc. Jesu ab urbe Peking, die 25 Octobris, anno 1725, ad Patrem Souciet scriptis, cùm Jupiter, Mars, Venus, Mercurius mense Martio, anno 1725, proximassent, Sinenses Mathematici statim confinxere quamdam Saturni appropinquationem, eorumque cum Sole Lunâque conjunctionem. Mox Imperatori *Yong-tching* libellos obtulere, & hanc renovationem sæculorum ei gratulati sunt. Hac dē re publicas quoque magnatum gratulationes exceptit Imperator. Ipse illam conjunctionem suis in editis sæpiissimè publicavit; & tribunal Mathematicum in memorialibus suis historiarum libris scripsit: «Anno tertio Imperatoris *Yong-tching*, secundâ Lunâ, fuit septem planetarum conjunctionio». Pater Kegler, Societatis Jesu Mathematicus, pro virili parte enixus est, ut id commentitium & falsum esse Imperatori persuaderet. Prævaluit Sinensis adulatio. Inde manifestum est, quām levissimè adversus sacros Hebraicæ Scripturæ libros a nonnullis objiciatur similis conjunctionio, quæ fertur contigisse sub Principe *Tchouen-Hiu*. Hujus Imperatoris initia ad

annum 2510, mortem ad annum 2433, ante Jesum Christum referunt. Mense autem Martio Lunam secundam numerant Sinenses, quod ab ingressu Solis in Pisces, non vero, ut nos, ab ingressu in Arietem, annum incipiunt. Inde quoque, cum Judaei Sinenses Scenopegiam, seu festum Tabernaculorum, septimam Lunam celebrarent, ut diximus in priore Taciti editione, Tom. III, pag. 575, eadem more Sinico Luna octava numerabatur, ut habet epistola Patris Domenga.

Fere eodem mense. Redundare videtur fere, & additum a sciolu aliquo, qui non attenderet in magno anno, si 12954 per 12 divisoris, singulos menses esse ferme 1080 annorum. Unde in magno anno, non fere, sed revera eodem mense Demosthenes & Aper extitere. Hi sunt menses, de quibus Virgiliius, Eclog. IV, 12.

Incipient magni procedere menses.

CAP. XVII. *Agrippam.* Menenius Agrippa *Latinatus consul fuit anno Urbis conditae CCXI, ante Christum 503.*

Et Cæsarem. Julium Cæsarem, dictatorem.

Cœlium. M. Cœlium Rufum, cuius exstant epistolæ inter Ciceronianas, libr. VIII, ad Familiares.

Calvum. C. Licinius Macer Calvus diu cum Cicerone iniquissimam litem de principatu eloquentiae habuit, ut testatur Seneca, Controvers. III, 19. Illum laudat Cicero, de claris Orat. cap. 82. *Sanctitatem Calvi* celebrat Quintilianus, *Instit. Orat.* XII, 10.

Brutum. M. Junium Brutum, Cæsar's interfectorum, cui Tullius librum de Oratoribus, & Oratorem inscripsit.

Afinium & Messalam. Jam laudatos supra cap. 12.

Hiriio . . . & Pansa consulibus. Anno Urbis conditæ **DCCXI**, quo occisus est Cicero die septimâ Decembris. De ejus cæde vide Velleium Paternulum II, 66.

Suffecit. Interfectis consulibus Pansa & Hirtio, suffecti sunt consules Cæsar Octavius, dictus postea Augustus, & Q. Pedius.

Sex & quinquaginta annos. Totidem numerantur ab hoc Augusti consulatu ad ejus mortem, quæ contigit anno U. C. **DCCLXVII**.

Caii. Caii Caligulae.

Bis quaterno sed nos annos. Ferme quatuordecim annos imperavit Claudius: totidem Nero.

Unum annum. In Ms. Vatic. & editionibus veteribus, *longum & unum annum.*

Principatus stationem. Sextum Vespasiani annum, qui coepit Julio mense, anno Urbis conditæ **DCCCXXVII**.

Centum & viginti anni. Rotundè dictum. Nam inter Ciceronis mortem & Vespasiani annum sextum sunt tantum anni **117**.

Ei pugnæ. Fuit hæc pugna anno Urbis conditæ **DCXCIX**. Illum verò senem in Britannia videre non potuit, nisi post annum Urbis conditæ **DCCC**.

Proximo quidem congiario. Biennio antè: anno Vespasiani quarto, Urbis conditæ **DCCCXXVI**, datum est illud congiarium, cuius memoria exstat in nummo Domitiani, CONG. II. COS. II. id est, *Congiarium alterum*, Domitiano *consule secundum*. In nummo quoque Titi, T. CAESAR VESPASIANUS TR. P. COS. II. & ex adversâ parte, CONG. TER. P. R. IMP. MAX. DAT. id est, *congiarium tertium populo Romano impensis maximis datum*. Nemo autem miretur priscam rerum memoriam ad congiaria referri, cùm vix quidquam in imperio Romano iis fuerit illustrius. *Hic ergo*, ubi se dat occasio & oppor-

tunitas , argumentum , in historiâ præcipuum ; ferme tamen intentatum , tractare operæ pretiuna est.

De Congiariis Romanis.

CUM adhuc tenuissima foret res Romana ; congiis frumenti , vini , olei , aliarumque id genus rerum , quæ populo dividebantur , publicam gratiam reges quæsiere , nomenque fecere congiariis. Ancus Marcius rex instituto saluberrimo usus est , ut tributis auctoritate conciliaret : atque , cùm salinas institueret , salis modios sex mille in congiario dedit populo , Plin. XXXI , 7.

Publicæ lætitiae pars maxima semper fuere congiaria. L. Lucullus , cùm rediit ex Asiâ millia cadûm vini Græci , in congiarium divisit amplius centum , Plin. XIV , 14. Veterem morem secutus Julius Cæsar , dictator , triumphi sui cenâ singulas Falerni amphoras , singulos Chii cados , in singula convivia distribuit. Chium adhuc & Falernum in Hispaniensi triumpho dedit , Plin. ibid. Quanta tunc lætitia , cùm populus Romanus , per convivia divisus , inter patriæ triumphantiumque laudes , suam ipse fortunam felicitatemque celebrabat : At plerumque perfida donorum natura. Et Julius Cæsar , qui vitia virtutesque in dominandi artes verterat , congiariis quoque usus est. Nec jam gulæ deliciis , sed , quibus vis acrior , auro argentoque publicam libertatem fregit. Eamdem viam iniit felicior Augustus. Ne eam quidem aspernatus est Tiberius , parcior tamen , quia aliis regnandi artibus validior. Ceteri deinde Principes hac viâ iere ; alii liberalitate , alii consuetudine & prodigentiâ ; alii avaritiâ , cùm darent , ut audaciis auferrent ; alii necessitate : plebs enim largitionibus inescata , insolescebat , avida semper , semper egens.

Quanta

Quanta autem impendia in congiariis Romani Imperatores fecerint explicaturus, præmonuerim congiaria data fuisse plebi Romanae, ejusque pueris ab undecimo ætatis anno, saepe etiam minoribus: Augusto Principe, congiaria pervenisse ad civium millia numquam minus quinquaginta & ducenta. Immo ipse anno tribunitiæ suæ potestatis duodecimmo, consul XII, trecentis & viginti millibus plebei Urbanae dedit. Porro cum, ab Augusti principatu, novi cives in tribus semper adlegentur, semper ampliatus sit civium numerus, nullum erit amplificationis periculum, si a Julio Cæsare ad Trajanum congiaria ducentis & quinquaginta hominum millibus, a Trajano ad M. Aurelium Antoninum, cum Roma fuit frequissima & magna Principum liberalitas, trecentis millibus pervenisse computaveris. Postea vel immuta Urbis frequentia, vel adstricta Principum liberalitas, ut mox in Septuaginta Severo videbimus. At certè tum etiam congiaria centum quinquaginta millibus hominum pervenere. Immo his rationibus plurimum minuentur congiariorum impensa. Verum minuere potius, quam augere expedit. Immensa adhuc exsurget pecuniarum summa in congiariis expensa. Adde, ut Imperatoriarum largitionum vim intelligas, quemadmodum populo congiaria, sic militibus donativa fuisse proposita, ac majores plerumque in donativis, quam in congiariis impensas fuisse. His præmonitis, scriptores veteres, nummos, Inscriptiones, ac maximè Ms. Codicem Cæsareæ Bibliothecæ Vindobonensis, quem in priore Taciti editione Tom. IV, pag. 234 & seqq. publicavi, secutus, Imperatorum congiaria exponam.

C. JULIUS CÆSAR *congiarium dedit decanios centenos, Gallicæ monetæ libras 77. Ms. Tom. VI.*

Vindobon. De pecuniæ summâ consentit Suetonius : at frumentum oleumque data insuper docet. Populo præter frumenti denos modios , ac totidem olei libras , tricenos quoque nummos , quos pollicitus olim erat , viritim divisit : & hoc amplius , centenos pro morâ. Suet. in Jul. XXXVIII.

AUGUSTUS congiarium ter A CCCLXII s. At hic latet librariorum erratum. Fortè scriptum fuit olim x ccclxii s , id est , denarios trecenos sexagenos binos cum semisse , Gallicæ monetæ libras 282. Ut ut est , aliunde comperta nobis Augusti congiaria. Nam , præterquam quod Augustus , post mortem Julii Cæsaris , ex ejus testamento plebi Romanæ viritim numeravit festertios trecenos , Gallicæ monetæ libras 58 , ipse consul V , anno U. C. DCCXXV , nomine suo congiarium dedit festertios quadringenos , Gallicæ monetæ libras 77. Deinde consul X , altero congiario itidem festertios quadringenos ex patrimonio suo pernumeravit. Tertium congiarium quadringenos adhuc nummos dedit anno tribunitiæ suæ potestatis duodecimo. Singula hæc congiaria pervenerunt ad civium millia numquam minus quinquaginta & ducenta. Singula ergo fuere millies festertium , seu Gallicæ monetæ libræ 19,455,025. Hisce congiariis alias largitiones addidit Augustus. Consul XII , anno tribunitiæ suæ potestatis duodecimo , sexagenos denarios , Gallicæ monetæ libras 46 , trecentis viginti millibus plebei Urbanæ dedit. Tantus autem fuit , ut opinor , plebis Urbanæ numerus , quod ne minores quidem pueros præteriit , quamvis nonnisi ab undecimo ætatis anno accipere consuefissent , Sueton. in Aug. XLI. Consul XIII sexagenos adhuc denarios dedit plebi , quæ frumentum publicum accipiebat. Ea tunc erant millia hominum paulo plura , quam du-

DE ORATORIBUS NOTÆ. 363

centa. Hactenus Marmor Ancyranum, quod vide in priore Taciti editione, Tom. I, pag. 345. Præterea Augustus testamento legavit populo & plebi nummos quadringenties tricies quinquies, Gallicæ monetæ libras 8,463,059, ut dictum est suprà Annal. I, 8.

TIBERIUS, Augusto Principe, cùm Germanicum triumphum ageret anno Urbis conditæ **DCCCLXV**, prandium populo mille mensis, & congiarium trecenos nummos, Gallicæ monetæ lib. 58, viritim dedit, Sueton. in Tiber. XX. Deinde ipse Princeps congiarium dedit, cùm Neronem & Drusum patribus commendaret, Sueton. in Tiber. LIV, & Tacit. Annal. III, 29. Idem sanè est de quo Ms. Vindobon. congiarium dedit denarios **LXXII**, Gallicæ monetæ libras 56. Moriens Tiberius legavit populo quadringenties quinquages *sestertium*, Gallicæ monetæ lib. 8,754,856. Dio **LIX**, pag. 640.

CAIUS CALIGULA congiarium populo bis dedit trecenos *sestertios*, Gallicæ monetæ libras 58, Sueton. in Caio XVII. Legendum in Ms. Vindobonensi congiaria dedit denarios *septuagenos binos cum semisse*, Gallicæ monetæ libras 56. Præterea de basilicâ Juliâ sparsit Caligula aureos & argenteos; in quâ rapinâ perierunt homines **XXXII CCXLVII**. At, ut puto, numeros turbarunt librarii. Emendandum mihi videtur: sparsit aureos & argenteos **XXXII**, id est, aureorum & argenteorum triginta duo millia; in quâ rapinâ perierunt homines **CCXLVII**.

CLAUDIUS, anno Urbis conditæ **DCCXCVIII**; congiarium dedit denarios quinos & septuagenos, Gallicæ monetæ libras 58, Ms. Vindobon. Ita

quoque Dio LX, pag. 682, qui addit in hac largitione fuisse, qui plus acciperent, nonnullis etiam datos mille ducentos quinquaginta nummos, *Gallicæ monetæ libras 243.* Postea anno Urbis conditæ DCCCIIV, cùm Nero *princeps Juventutis* appellaretur, additum est nomine ejus congiarium, Tacit. Annal. XII, 41.

NERO, Augusti magnificentiam æmulatus; *congiarium dedit quadringenos nummos*, Gallicæ monetæ libras 77, Ms. Vindobon. & Tacit. Annal. XIII, 31. Hæc Principis liberalitas nummis celebrari cœpit. **NERO CLAVD. CAES. AVG. GERM. P. M. TR. P. IMP. P. P.** capite laureato. Ex adversâ nummi parte, **CONGIAR. DAT. POP.** id est, *congiarium datum populo*, Nero togatus dat congiarium. In aliis duobus ejus nummis **CONGIAR. II. & CONGIAR. III.** id est, *congiarium secundum*, *congiarium tertium*. Unde manifestum est plura fuisse ejus congiaria. Utrum iis annumeretur congiarium ejus nomine a Claudio datum haud dixerim. Nummos vide apud Harduinum, *Selecta opera*, pag. 721 & 722. Vide & Cl. Vaillant, *Histoire de l'Académie Royale des Inscriptions*, Tom. I, pag. 245.

GALBA, senili avaritiâ, congiarium promisit; non dedit.

OTHO VITELLIUSque nec spatiū, nec facultatem dandi congiarium habuere, præcipitibus fatis, bellisque civilibus publicas fortunas haurientibus.

VESPASIANUS, pacato terrarum orbe, *congiarium dedit denarios quinos & septuagenos*, Gallicæ monetæ libras 58, Ms. Vindobon. Et

cum filios suos sibi in omnibus æquaret, ut populus Romanus regnatrici domui assuesceret, a Tito Domitianoque congiaria dari curavit. Ex nummis, Titus, consul secundùm, anno Urbis conditæ DCCCXXV, congiarium primum dedit: T. CAES. VESPASIAN. IMP. PONT. TR. POT. COS. II. capite laureato. In adversâ parte CONGIAR. PRIMVM. P. R. DAT. Secundum congiarium dedit anno sequenti Domitianus consul quoque secundùm. Sic enim in ejus nummo, CONG. II. COS. II. Tertium eodem anno dedit Titus, atque quidem impensis maximis, quod natu major, triumphator, & imperii heres. Ejus nummi pars prior, ut suprà. In alterâ parte, CONG. TER. P. R. IMP. MAX. DAT. SC. id est, congiarium tertium populo Romano impensis maximis datum; senatusconsulto. Hoc memorat Tacitus, Dialog. de Orat. cap. 17. Nummos verò vide apud Mediobarbum, pag. 121. Harduinum, loc. cit. pag. 733. Vide & Cl. Vailant, loc. cit.

TITUS, deliciæ generis humani, principatum adeptus, at præproperâ morte raptus, congiarium promisit, & non dedit. Ms. Vindobon. Habetur quidem inter Arschotanos nummos, Tab. XXIX, num. 20, nummus unus Titi, jam Principis, & consulis octavum, IMP. T. CAESAR. VESP. AVG. P. M. TR. P. P. P. COS. VIII. In adversâ parte CONGIAR. TER. P. R. IMP. DAT. Verum nummus iste suspectæ est fidei, &, ut videtur, ad exemplum nummi suprà laudati expressus.

DOMITIANUS congiarium ter dedit denarios quinos & septuagenos, Gallicæ monetæ libras 58, Ms. Vindobon. Idem habet Sueton. in Domit. IV.

In ejus nummis memorantur congiaria data sub ejus consulatu II, de quo modò dictum est, & sub ejus consulatu XI. Tertium congiarium in ejus nummis nondum repertum. Nec congiario-rum numerus in his nummis signatur. Vide Cl. Vaillant, loc. cit.

NERVA congiarium quoque dedit denarios quinos & septuagenos, Ms. Vindobon. Alia datus, si diutius vixisset. Fidem facit ejus nummus, IMP. NERVA CAES. AVG. P. M. TR. P. COS. II. P. P. In adversâ parte, CONGIA-RIVM PR. SC. id est, *congiarium primum, senatusconsulto*. Vel moriens, egregiam voluntatem testatus est; & funeraticum plebi Urbanæ instituit denarios sexagenos binos cum semisse, Gallicæ monetæ libras 48, cum assibus aliquot. Hæc autem in ejus funere fuisse data, non verò singulis annis emortuali dié solvenda, crediderim.

TRAJANUS, ex Hispaniâ oriundus, primus exterorum, imperio Romano potitus est. Ne Romanorum Principum maneret desiderium, priores dominos vicit donorum magnitudine; congiariaque dedit denarios sexagenos quinquagenos, Gallicæ monetæ libras 505; Ms. Vindobon. Nolitamen existimare hæc data fuisse unico congiario. Nimia foret summa. Præterea in ejus nummis tria memorantur congiaria. Primum, primo ejus imperii anno, Urbis conditæ DCCCL, datum: IMP. CAES. NERVA TRAIAN. AVG. GERM. P. M. TR. P. capite laureato. In posticâ parte, COS. II. P. P. CONG. PR. id est, *consul secundum, pater patriæ, congiarium primum*. Infra SC. id est, *senatusconsulto*. Istud est congiarium, quod maximis laudibus extulit Plinius in Panegyr. cap. 25, 26, 27 & 28; hac de re omnino

legendus, ut & congiariorum ratio cognoscatur, & intelligatur quantum caverit Princeps optimus, ne quis liberalitatis suæ expers fieret. Postea, cùm consul fuisset quintum, duo alia dedit congiaria. In ejus numinis, COS. V. CONGIARIVM SECUND. & COS. V. CONGIARIVM TERTIVM. Ne tamen existimes eodem anno data. Nam inter quintum & sextum Trajani consulatum novem anni intercessere. Nummos vide apud Harduinum, ibid. pag. 747 & seqq. Ad primum Trajani congiarium pertinere mihi videtur elegantissima Inscriptio, quæ adseratur Romæ in Museo Collegii Romani, quamque Philippus Bonanni exhibet in *Museo Kircheriano*, pag. 103.

D. M.

EVTYCHETI FILIO

QVI VIXIT ANN. VI

DIEBVS VI. INCISVS

INGENVVS QVE ACCEPIT

CONGIARIVM XC.

FECIT PATER BE

NE MERENTI.

Nempe Eutyches, ingenuus quidem, sed infans parvulus, in liberalitatis tesseras incisus est, & Congiarium accepit denarios centum Gallicæ monetæ libras 77.

HADRIANUS, in quo magis fuere virtutum imagines, quam ipsæ virtutes, Trajani liberalitatem æmulatus est. Nondum in Urbem venerat, jam ternos aureos, Gallicæ monetæ libras 63, populo viritim dari absens curaverat. Deinde in Urbe duplex congiarium præsens dedit: &, ut

maximam liberalitatis famam pararet, *infinitam pecuniam, quæ fisco debebatur, privatis debitoribus in Urbe atque in Italiâ, in provinciis vero etiam ex reliquis ingentes summas remisit, syngraphis in foro divi Trajani, quod magis securitas omnibus roboraretur, incensis, Spart. in Hadrian.* cap. 7. Quæ debebantur a sedecim annis, nempe ab anno U. C. DCCCLV ad annum DCCCLXXI, fuisse remissa docet Dio LXIX, pag. 791. Summa autem reliquorum, quæ remissa sunt, fuit novies millies sestertium, *Gallicæ monetæ libræ 175,095,225*, ut jam memoravimus suprà Tom. V, pag. 398. Ob tantas autem largitiones dictus est Hadrianus LOCVPLETATOR ORBIS TERRARVM. Toto principatu septem congiaria dedit. Tunc primum obsolescere cœpit congiarii nomen, liberalitatis usurpatum. Inde in Hadriani nummis LIBERALITAS AVG. LIBERALITAS AVG. III. LIBERALITAS AVG. IIII. id est, *liberalitas Augusti, tertia, quarta.* Nummos vide apud Harduinum loc. cit. pag. 756 & seqq. Vide & Cl. Vaillant, loc. cit. pag. 246. Congiarii secundi, CONG. II. nummum habet Occo pag. 224. His autem congiariis, liberalitatibusve, ab Hadriano datos fuisse denarios mille, *Gallicæ monetæ libras 778*, docet Ms. Vindobon.

ANTONINUS PIUS, quo Principe proferrima fuit res Romana, benevolentiam populi Romani fovit continuis liberalitatibus. Novem numerantur in ejus nummis, quarum ultima æquè inscribitur LIBERALITAS AVG. VIII. COS. IIII. & CONG. AVG. VIII. COS. IIII. id est, *congiarium Augusti nonum, consulis quartum.* In his congiariis dati denarii octingeni, *Gallicæ monetæ libræ 622*, Ms. Vindobon.

LUCIUS VERUS, quem M. Aurelius Antoninus, egregio magis, quam laudabili exemplo, imperii socium fecerat, congiaria dedit denarios quadringenos, *Gallicæ monetæ libras 311, Ms. Vindobon.* In nummis quatuor congiaria a Lucio Vero data memorantur. Lucium verò ea dedisse cum M. Aurelio Antonino testantur utriusque Imperatoris nummi. In nummo enim Lucii Veri, cuso Urbis conditæ anno DCCCCXIV, LIB. AVGVSTORVM. id est, *liberalitas Augustorum.* Nummus quoque M. Aurelii Antonini cusu est anno Urbis conditæ DCCCCXXI, CONG. AVG. III. in cuius posticâ parte duo Imperatores e suggesto congiarium dant populo. Vide Cl. Vailant, loc. cit. pag. 246. & Harduinum, ibid. pag. 777 & 781.

M. AURELIUS ANTONINUS, ut omnes Principes sapientiâ, sic liberalitate vicit. Hanc egregio dono testatus est anno U. C. DCCCCXVII, tribunitiæ suæ potestatis octavodecimo; sic enim explicandus mihi videtur Eusebius in Chronic. ad annum XVIII. *Imperatores multis multa largiti sunt, & pecuniam, quæ fisco debebatur, provinciis concedentes, tabulas debitorum in medio Romanæ urbis foro incendi fecerunt.* Tunc M. Antoninus omnia, quæ ab annis quadraginta sex, nempe ab anno Urbis conditæ DCCCLXXI, fisco & ærario debebantur, remisit, L. Vero imperii & liberalitatis socio. Quod perperam Dio LXXI, pag. 814, ad annum DCCCCXXIX retulit, cum solus imperaret Antoninus. Quanta autem pecuniæ vis tunc remissa fuerit, æstimari potest ex iis, quæ suprà in Hadriano retulimus. Præterea Antoninus congiaria dedit denarios octingenos quinquagenos, *Gallicæ monetæ libras 651, Ms. Vindobon.* Hæc data septem liberalitatibus, in

quarum ultimâ largitus est octonos aureos, *Gallicæ monetæ libras 168.* Numquam antea tantâ liberalitate donatus fuerat populus Romanus, teste *Dione*, loc. cit. Quâ ejus observatione demonstratur, quod antè monuimus, numeros codicis Ms. Vindobonensis de multis congiariis, non de unico, esse accipiendos. Septimæ autem hujus liberalitatis memoria exstat in nummo Mediceo apud *Eminentissimum Noris*, *Epist. Consular.* pag. 119. M. ANTONINVS AVG. TR. P. XXIX. capite laureato. In adversâ parte LIBERALITAS AVG. VII. Postea cùm M. Antoninus filium suum L. Aurelium Commodum imperii consortem fecisset, novam addidit liberalitatem, sed filii sui nomine, ut ejus favor cresceret. Inde in nummo Commodi COS. II. TR. P. V. LIB. AVG. id est, *liberalitas Augusti*.

M. AURELIUS COMMODUS *congiaria dedit populo denarios octingenos quinquagenos, Gallicæ monetæ libras 651*, Ms. Vindobon. Octo ejus liberalitates in nummis memorantur; quarum multæ fuere *denariorum centenorum quadragenorum*, *Gallicæ monetæ librarum 108*, Dio LXXII, pag. 825. Inde explices emendesque *Lampridium in Commodo*, cap. 16. *Congiarium dedit populo, singulis denarios septingenos vicenos quinos, Gallicæ monetæ libras 564.* Congiarium generatim universimque dicitur, nec unicum est intelligendum, quod non advertit eruditus Reimarus in Notis ad Dionem. Præterea cùm octo liberalitates dederit Commodus, earumque multas *denariorum cxl*, numeros codicis Ms. Vindobonensis; quâm *Lampridii*, probabiliores crediderim. Illarum autem octo liberalitatum nummos vide apud *Harduinum*, ibid. pag. 793. Septem tantum liberalitates numerabat Cl. Vaillant, loc. cit. pag. 246.

P. HELVIUS PERTINAX *congiaria dedit denarios centenos quinquagenos*, Gallicæ monetæ libras 116, Ms. Vindobon. Aliter quidem Dio LXXIII, pag. 832, & Capitolinus in Pertinace, cap. 15, *congiarium dedit populo denarios centenos*. Non ita tamen a Ms. Vindobonensi dissentunt, si attenderis *Capitolinum priùs dixisse*, cap. 7, *donativa & congiaria, quæ Commodus promiserat, solvit*. Nempe Pertinax *congiarium dedit denarios centenos*. Exstat hæc liberalitas in nummo Pertinacis, LIB. AVG. TR. P. COS. II. Quinquageni autem ceteri denarii in solvendis *congiariorum a Commodo promissorum reliquiis expensi*.

SALVIUS JULIANUS brevitate imperii *congiarium non dedit*: ne promissum quidem militibus *donativum repræsentavit*; ideoque imperfectus.

SEPTIMIUS SEVERUS *congiaria dedit denarios mille centenos*, Gallicæ monetæ libras 855, Ms. Vindobon. Octo Septimii Severi liberalitates in nummis memorantur, teste Cl. Vailant, loc. cit. pag. 246. Insignis maximè tertia, cùm imperii decennalia celebraret anno Urbis conditæ DCCCLV. Plebi enim, quæ frumentum publicum accipiebat, & prætorianis, denos aureos, Gallicæ monetæ libras 210, divisit. Sic datum bis millies festertium, Gallicæ monetæ libræ 38,910,050. Numquam antea tantum populus viritim acceperat. Dio LXXVI, pag. 859. Inde autem patet, quod observatu dignum, numerum plebis, quæ frumentum publicum accipiebat, imminutum esse ab Augusti temporibus. Tunc enim fuere, ut suprà diximus ex marmore Ancyrano, paulo plura, quam hominum ducenta millia. Nunc fuere tantum paulo plura, quam centum nonaginta millia.

SEPTIMIUS GETA , cùm Princeps fuit , congiarium non dedit , a fratre suo Antonino Caracallâ brevì interemptus . Dederat antè , vivo patre Septimio Severo , a quo cum fratre suo in imperii societatem adsumptus fuerat . Testes sunt nummi tum Getæ , tum Caracallæ , inscripti LIBERALITAS AVGG . VI ET V . id est , liberalitas Augustorum sexta & quinta : sexta Caracallæ , ut ex alio ejus nummo constat , quinta Getæ . Nummos vide apud Harduinum , ibid . pag . 807 & seqq . & Cl . de Boze , qui supplevit Dissertationem Cl . Vaillant , loc . cit . pag . 247 .

ANTONINVS CARACALLA *congiaria dedit denarios quadringenos* , Gallicæ monetæ libras 311 , Ms . Vindobon . In nummis nona Caracallæ liberalitas niemoratur , teste Cl . de Boze ; loc . cit . pag . 247 . Non quòd novem liberalitates dederit Princeps Caracalla , sed quòd nona sit a primâ , quam dederat pater ejus Septimius Severus anno Urbis conditæ DCCCCXLVIII . Sic enim explicandi mihi videntur nummi tum Severi , tum filiorum ejus Caracallæ & Getæ , quos vide apud Harduinum loc . cit .

MACRINUS *congiarium dedit denarios centenos quinquagenos* , Gallicæ monetæ libras 116 , Ms . Vindobon . & Dio LXXVIII , pag . 902 . Congiarium illud habent quoque nummi , teste Cl . de Boze , loc . cit . pag . 247 .

ANTONINUS ELAGABALUS *congiaria dedit denarios ducentos quinquagenos* , Gallicæ monetæ libras 194 , Ms . Vindobon . In nummis tres celebrantur ejus liberalitates . Vide nummos apud Harduinum , ibid . pag . 814 . & Cl . de Boze , loc . cit . pag . 247 .

SEVERUS ALEXANDER *congiaria dedit denarios sexcenos*, Gallicæ monetæ libras 466, Ms. Vindobon. Quinque ejus liberalitates numerantur in nummis, quos vide apud Harduinum, ibid. pag. 819 & seqq. & Cl. de Boze, loc. cit. pag. 247.

MAXIMINUS *congiarium dedit denarios centenos quinquagenos*, Gallicæ monetæ libras 116, Ms. Vindobon. Exstat quoque in nummis illud congiarium, teste Cl. de Boze, loc. cit. pag. 247.

GORDIANI duo, nempe Gordianus senior ejusque filius, in quâdam principatûs imagine extincti sunt, Herodian. VII, 9.

PUPIENUS & BALBINUS *congiarium dederunt denarios ducentos quinquagenos*, Gallicæ monetæ libras 194, Ms. Vindobon. Inde in nummis tum Pupieni, tum Balbini, LIBERALITAS AVGVSTORVM. Vide & Cl. de Boze, loc. cit. pag. 247. Immo cùm Gordianus, de quo mox dicetur, fuisset quoque appellatus Augustus, in uno e Pupieni nummis non modò legitur LIBERALITAS AVGVSTORVM SC. sed ibi quoque tres sedent Augusti, Pupienus scilicet, Balbinus & Gordianus.

GORDIANUS, Gordiani nepos, *congiaria dedit denarios trecenos quinquagenos*, Gallicæ monetæ libras 272, Ms. Vindobon. In ejus nummis liberalitates quinque reperit Cl. de Boze, loc. cit. pag. 247. Prima sane fuit, de quâ suprà dictum est sub Pupieno. Patet ex Ms. Vindobonensi has Gordiani largitiones historicis non fuisse ignotas, ut existimavit Harduinus, loc. cit. pag. 819.

PHILIPPI duo , Philippus pater & filius ;
congiaria dederunt denarios trecenos quinquagenos , Gallicæ monetæ libras 272 , Ms. Vindobon .
 Tres sunt in eorum nummis liberalitates.

TRAJANUS DECIUS *congiarium dedit denarios ducentos quinquagenos* , Gallicæ monetæ libras 194 , Ms. Vindobon . Cujus liberalitatis exstat nummus.

TREBONIANUS GALLUS & VOLUSIANUS *congiarium dederunt denarios ducentos quinquagenos* , Ms. Vindobon . In utriusque nummis habetur hæc liberalitas AVGG , id est , *Augustorum*.

ÆMILIANUS *obscurissime natus* , *obscurius imperavit* : ac tertio mense *extinctus est* , Eutrop.

VALERIANUS & GALLIENUS . Gallienus *congiaria dedit denarios mille ducentos & quinquagenos* , Gallicæ monetæ lib. 972 , & binionem aureum , id est & viritim divisit nummum duos aureos valentem , seu Gallicæ monetæ libras 42 . Ms. Vindobon . Ex his verò congiariis tria dedit Gallienus cum Valeriano , ut constat ex multis tum Gallieni tum Valeriani nummis , in quibus CONCORDIA AVGSTOR . Capita adversa Valeriani & Gallieni . Ex adversâ parte , LIBERALITAS AVGG . In aliis LIBERALITAS AVGG . III . id est , *liberalitas Augustorum tertia* . Quartam addidit solus Gallienus , cuius nummus exstat apud Cl . Banduri , *Numismata Imperatorum Roman . Tom . I , pag . 133 , LIBERALITAS AVG . III .*

POSTUMUS , qui purpuram ceteraque Imperatorum Romanorum sumpfit , congiarium

quoque dedit, ut patet ex ejus nummis POSTVMVS PIVS AVG. In adversâ parte, LIBERALITAS AVG.

CLAUDIUS GOTHICUS *congiarium dedit denarios ducentos quinquagenos*, Gallicæ monetæ libras 194, Ms. Vindobon. In ejus nummis IMP. C. CLAVDIVS AVG. Ex adversâ parte, LIBERALITAS AVG.

QUINTILLUS *congiarium promisit, sed non dedit*, Ms. Vindobon. Inde fortè suspectus videtur nummus, cuius meminit Cl. Banduri, ibid. Tom. II, pag. 361, IMP. C. M. AVR. CL. QVINTILLVS AVG. In adversâ parte LIBERALITAS AVG. Adde nummum illum esse incerti moduli, & in cuius cimelio reperiatur ignorari. Illum tamen nummum memorat quoque Cl. de Boze, loc. cit. pag. 248. At erravit vir in re nummariâ peritissimus, cum existimavit aut nulla ab Imperatoribus Romanis postea data fuisse congiaria, aut eorum nummos non exstare.

AURELIANUS *congiarium dedit denarios quingenos*, Gallicæ monetæ libras 389, Ms. Vindobon. Nulla exstat in nummis memoria.

TACITUS, FLORIANUS, PROBUS, CARUS congiaria non dedere, Ms. Vindobon. Multi tamen exstant nummi Imperatoris Cari cum inscriptione ABVNDANTIA AVG. Sed fortè nec viritim, nec plebi has largitiones divisit.

CARINUS & NUMERIANUS *congiaria deperunt nummos quingenos*, Gallicæ monetæ libras 389. Ms. Vindobon. Tunc congiaria dici cœpere abundantia. Inde in nummis tum Carini, tum

Numeriani, ABVNDANTIA AVGG. Abundantia e cornu copiæ effundit nummos.

DIOCLETIANUS & MAXIMIANUS HERCULIUS *congiarium dederunt nummos mille quingenos quinquagenos*, Gallicæ monetæ libras 1206; præterea sparserunt in Circo aureos & argenteos, Ms. Vindobon. Apud Cl. Banduri, ibid. Tom. II, pag. 25 & 67, exhibentur eorum nummi inscripti ABVNDANTIA AVGG. A. B. G. id est, ut videtur, abundantia Augustorum prima, secunda, tertia.

CONSTANTIUS & GALERIUS MAXIMIANUS Diocletiani & Maximiani Herculii liberalitatem æmulati sunt. Datum bis *congiarium nummos mille quingenos*, Gallicæ monetæ libras 1167, testatur Ms. Vindobon. Ad has liberalitates forte pertinet rarissimus Maximiani Herculii nummus, quem memorat Harduinus, *Selecta Opera*, pag. 450. MAXIMIANVS P. F. AVG. capite radiato. In posticâ parte, ABVNDANTIA AVGG. ET CAESS. NN. Dea effundit pecuniam, excipiente eam ante pedes homine supplice. Post Constantium & Maximianum nulla memorantur congiaria. Nusquam in nummis apparent nomina, CONGIARIVM, LIBERALITAS, ABVNDANTIA. Divisum enim imperium nihil ferme veteris magnificentiæ retinuit.

Corvinum. Corvinum Messalam, & Asinium Pollionem, sæpe suprà laudatos.

CAP. XVIII. Ser. Galbæ. Servius Sulpicius Galba, consul anno U. C. DCX, eloquentiâ præstítit. At ejus orationes exiliores sunt & redi-

lentes magis antiquitatem, quam aut Lælii, aut Scipionis, aut etiam ipsius Catonis. Itaque exaruerunt; vix jam ut appareant, teste Cicerone de claris Oratoribus, cap. 21. Vide & Suetonium in Galbâ III. De eo jam dictum suprà Annal. III, 66.

C. Carboni. C. Papirius Carbo, consul fuit anno U. C. DCXXXIV. Eum Tullius, de claris Orat. cap. 27, appellat *canorum oratorem, & volubilem, & satis acrem, atque eundem & vehementem, & valde dulcem, & perfacetum.* Orationes ejus nondum satis splendidas verbis, sed acutas, prudentiæque plenissimas antè dixerat.

Calvus vester. Calvus Cœliusque jam memorati suprà cap. 17.

Catoni seni. Quem egregiè commendat Quintilianus, Institut. Orat. XII, 11. Marcus Censorius Cato, idem orator, idem historiæ conditor, idem juris, idem rerum rusticarum peritissimus, inter tot operas militiæ, tantas domi contentiones, rudi sæculo literas Græcas ætate jam declinatâ didicit, ut esset hominibus documento; ea quoque percipi posse, quæ senes concupissent.

C. Gracchus. C. Gracchus, tribunus plebis, cùm biennio eloquentiâ & seditionibus populum agitasset, interemptus est, L. Opimio consule, anno Urbis conditæ DCXXXIII. Vide Plinium XIV, 4. & XXXIII, 3. Sect. 14. Plutarchum quoque in Gracchis, pag. 824.

Crassus. L. Crassus vir fuit eloquentissimus & clarissimus, teste Cicerone in Verrem III, 1. Plura adhuc de eo in libro de Oratore III, 1. *Illud immortalitate dignum ingenium, illa humanitas, illa virtus L. Crassi, morte extincta subitâ est.* Multa manent ejus dicacitatis argumenta; quorum præcipuum est ejus dictum in Cn. Domitium Ahenobarbum: *Non esse mirandum, quod œneam*

barbam haberet, cui os ferreum, cor plumbeum effet. Sueton. in Nerone II. De eo adhuc infrà cap. 25.

Corvinus. Messala Corvinus, jam sæpe suprà laudatus.

In fastidio esse. Velleius Paterculus II, 95. *Præsentia invidiâ, præterita veneratione prosequimur.*

Appium Cæcum. Qui censor fuit anno Urbis conditæ ccccxlII, cùm nondum vigeret eloquentia Romana. Appii laudes paucis habet vetus marmor, cuius Inscriptionem retulit eruditus Antonius Augustinus, *Dialogos de Medallas*, Dialogo X, pag. 412.

APPIVS CLAVDIVS

C. F. CAECVS

CENSOR. COS. BIS. DICT. INTERREX. III
PR. II. AED. CVR. II. Q. TR. MIL. III. COM
PLVRA. OPPIDA. DE. SAMNITIBVS. CEPIT
SABINORVM. ET. TVSCORVM. EXERCI
TVM. FVDIT. PACEM. FIERI. CVM. PYRRHO
REGE. PROHIBVT. IN. CENSVRA. VIAM
APPIAM. STRAVIT. ET. AQVAM. IN
VRBEM. ADDVXIT. AEDEM. BELLONAE
FECIT.

Vide & eruditum Gori, *Inscriptiones Antiq.* Tom. II, pag. 237. Ob hanc ædem Bellonæ de Appio dixit Ovidius, Fast. VI, 201.

Hac sacrata die Tusco Bellona duello

Dicitur, & Latio prospera semper adest.

Appius est auëlor, Pyrrho qui pace negatâ

Multum animo vidit, lumine cæcus erat.

De egregio illo sene vide Ciceronem in libro de Senectute VI.

Obtrectatores. De his obtrectatoribus Quintilianus, *Instit. Orat.* XII, 10. Ciceronem & suorum homines temporum incessere audebant, ut tumidiorem & Asianum, & redundantem, & in repetitionibus nimium, & in salibus aliquando frigidum, & in compositione fractum, exultantem, ac pene (quod procul absit) viro molliorem.

Parum Atticus. Nempe antiqua oratorum divisio inter Asianos atque Atticos fuit, cum hi pressi & integri: contrà inflati illi & inanes haberentur... Attici limati quidem & emuneti nihil inane ac redundans ferebant. Asiana gens tumidior alioquin atque jaestantior, vaniore etiam dicendi gloriâ inflata est. Ciceronem præcipue premebant, qui videri Atticorum imitatores concupiscebant. Vide Quintilianum, loc. cit.

Calvi & Bruti. Ea fuit semper inter summos viros æmulatio, de quâ Quintilianus, *Institut. Orat.* XII, 1. Neque ipsi Ciceroni Demosthenes videtur satis esse perfectus, quem dormitare interim dicit: nec Cicero Bruto Calvoque, qui certè compositionem illius, etiam apud ipsum reprehendunt: nec Afinio utrique, qui vitia orationis ejus etiam inimicè pluribus in locis insequuntur.

Otiosum. Mallet Lipsius, *odiosum*: id est, affectatione quâdam & asperitate dictionis molestum. At Brutus, utpote sententious & animosâ philosophiâ plenus potuit otiosus esse circa sententias & philosophicos locos; ita Cicero fuit otiosus circa excessus, ut mox dicetur infrâ cap. 22. *Disjunctum* autem intellige, quo sensu Senecam appellabat C. Caligula, *Arenam sine calce*. Suet. in Caio Caligul. LIII. Talis autem eloquentia decebat Brutum, de quo Julius Cæsar solitus erat dicere: MAGNI REFERT, HIC QVID VELIT: SED QVIDQVID VOLT, VALDE VOLT. Cicero Ep. ad

Atticum XIV, 1. Infrà cap. 21, memoratur
Bruti philosophia, lentitudo, repor. Inde otiosus
hic dicitur.

CAP. XIX. *Ad Cassium Severum.* Puto emen-
dandum, constituere solent usque ad Cassium Se-
verum, quem reum faciunt, quemque primum ad-
firmant, &c. De Cassio Severo, orandi valido,
sed sordidæ originis & maleficæ vitæ, dictum est
suprà Annal. IV, 21. Extremis Augusti temporibus
& Tiberii principatu floruit. Formam ejus ingenii
describit Quintilianus, *Institut. Orat. X*, 1. *Multa,*
si cum judicio legatur, dabit imitatione digna
Cassius Severus: qui, si ceteris virtutibus colorem
& gravitatem orationis adjecisset, ponendus inter
præcipuos foret. Nam & ingenii plurimum est in
eo, & acerbitas mira & urbanitas & vis summa:
sed plus stomacho, quam consilio dedit: præterea
ut amari sales, ita frequenter amaritudo ipsa ridi-
cula est.

Hermagoræ & Apollodori. Duo illi rhetores sub
Augusto floruerent. Immo Apollodorus Augusti
præceptor fuit & familiaris. Vide Quintilianum,
Institut. Orat. III, 1. & Strabonem XIII, pag.
625. Præceptore Apollodoro, cœpit eloquentia
in sectas dividi, & evanuit. Adeo infensa infausta-
que sectarum studia.

Atque ex ea. Atque omittendum videtur.

In cortina. De hoc loco eruditus Jos. Scaliger,
Conjectan. in Varronem de Ling. Lat. pag. 127,
edit. an. 1581. *Cortina ea est propriè, in quâ*
lana sufficiëta succos ebibit. Ab eo usus est meta-
phorâ Corn. Tacitus in Dialogo, cùm ait in cor-
tinâ esse... quæ enim in corinâ sunt, nondum
penitus imbibierunt succum. Fortè simplicius in-
telligentum de assistentium auditorumque coronâ.
Sic Severus in Ætnâ, vers. 294.

*Longas emugit buccina voces,
Carmineque irriguo magni cortina theatri:
Imparibus numerosa modis canit arte regentis.*

Qui elementis. Forte scriptum olim, quin.

CAP. XX. *In Verrem libros.* A Cicerone
scriptos, & notissimos.

De exceptione & formula. Erant actiones de exceptione, nempe ob exceptiones, seu exclusiones, quæ opponebantur, vel adversus personas, vel adversus res ipsas, vel adversus actiones, vel adversus ipsa judicia. Vide Digest. lib. XLIV, Tit. I, *de Exceptionibus, præscriptionibus, & præjudiciis.* Formula verò dicebatur, quod in instituendâ actione certis ac præscriptis verbis esset utendum. Vide Cujacium, observat. XXIII, 21.

Pro M. Tullio. Periit oratio Ciceronis pro M. Tullio: eam laudat Macrobius, de Differ. & Soc. Græci Latinique verbi, cap. de Tempore perfecto. Sed Cicero pro Tullio explicavit ait. Exstat adhuc oratio pro A. Cæcinâ.

Roscii. Roscius, histrio, Syllæ ac Ciceronis gratiâ celeberrimus: adeò acceptus fuit populo Romano, ut mercedem diurnam de publico mille denarios, Gallicæ monetæ libras 778, sine gregalibus solus acceperit, Macrobius, Saturnal. III, 7.

Turpionis Ambivii. Cujus meminere Cicero de Senectute, cap. 14. & Symmachus I, Ep. 25. & X, Ep. 2.

Et in ipsa. Forte omittendum, &.

Scribunt. Ad populares suos.

Sive in suis. Hic aliquid excidit. Lipsius tentat in sensibus suis: Melius Muretus, sive sensus aliquis. Sic ferme infra cap. 23, pauci sensus aptè & cum quodam lumine terminantur.

Accii aut Pacuvii. Veterum poetarum, quorum

adhuc exstant fragmenta. Quintilianus, *Institut. Orat. X*, 1. *Tragœdiæ scriptores Accius atque Pacuvius, clarissimi gravitate sententiarum, verborum pondere, & auctoritate personarum.*

Et Lucani sacrario. Inde frequentes illæ Horatianæ & Virgilianæ imitationes, quas in libris superioribus adnotavimus. Lucani verò laudes vidiimus suprà Annal. XV, 49. & XVI, 17.

Radiantur. Sic quoque Ovidius III, de Ponto IV, 103.

Scuta sed & galeæ gemmis radientur & auro,

Stentque super vinclos truncâ trophæa viros.

CAP. XXI. *Nec unum de populo Canuti. Locus omnino corruptus, quem, dum quis meliora suadeat, ita supplendum puto, nec unum de populo, sed rusticum videri, qui Canutio, aut Arrio deleétatur, Furniove aut Toranio, quique alios in eodem valetudinario, hæc ossa, & hanc maciem, probant.* Porro C. Canutius memoratur a Suetonio, de claris Rhetoribus, cap. 4. Q. Arrius a Cicerone, de claris Orator. cap. 69. C. Furnius fortè ille ipse ad quem scripsit Tullius, Epist. ad Familiares X, 25 & 26. Toranius illene puerorum mango, qui Antonio, triumviro, eximiâ formâ pueros duos ducentis sestertiis, Gallicæ monetæ libris 38,906, vendidit, ut refert Plinius VII, 12, an potius L. Turius, homo parvi ingenii, sed multi laboris, de quo Tullius, de clar. Orat. cap. 67?

Nec dissentire ceteros. Non ita suffragatur Quintilianus, *Institut. Orat. X*, 1. *Inveni qui Calvum præferrent omnibus, inveni qui Ciceroni crederent, eum nimiâ contra se calumniâ verum sanguinem perdidisse: sed est & sancta & gravis oratio & castigata, & frequenter vehemens quoque. Imitator est autem Atticorum, fecitque illi properata mors injuriam, si quid adjecturus, non*

*Si quid detraeturus fuit. Locum Ciceronis de Calvo
vide in Bruto cap. 82.*

*Ex Cœlianis orationibus. Quintilianus, Institut.
Orat. X, 1. Multum ingenii in Cœlio, & præ-
cipue in accusando multa urbanitas, dignusque
vir, cui & mens melior, & vita longior conti-
gisset.*

*Si non universæ, at partes earum. Locum
hunc in veteribus editionibus corruptum restituit
Acidalius.*

*C. Cœsari. Dictatori. Pariter Quintilianus,
Institut. Orat. X, 1. C. Cœsar, si foro tantum
vacasset, non aliis ex nostris contra Ciceronem
nominaretur: tanta in eo vis est, id acumen, ea
concitatio, ut illum eodem animo dixisse, quo
bellavit, appareat. Exornat tamen hæc omnia
mira sermonis, cuius propriè studiosus fuit,
elegantia.*

*Magnitudinem cogitationum. Sic Velleius Pa-
terculus II, 41. Caius Cœsar animo super humanam
& naturam & fidem evectus, magnitudine cogi-
tationum, celeritate bellandi, patientiâ periculorum,
Magno illi Alexandro, sed sobrio, neque
iracundo, simillimus.*

*Tam hercule. Tam hercule Caium Cœsarem
suis occupationibus, quam Brutum Philosophiæ
sux relinquamus. Stoicam philosophiam sectatus
est Brutus, multosque de eâ libros scripsit. Inde
& Quintilianus, Institut. Orat. X, 1. In philo-
sophiâ egregius, multoque, quam in orationibus,
præstantior Brutus, sufficit ponderi rerum: scias
eum sentire, quæ dicit.*

*Nisi forte quisquam. Emendandum videtur, nec
fere quisquam, ut Gronovio placuit.*

*Pro Decio Samnite. Oratio hæc, ut & alia
multa Cœsaris scripta, periit.*

Pro Dejotaro rege. Causam tamen Dejotari

fidelissimi atque optimi regis, ornatissimè & copiæfissimè a Bruto defensam ait Cicero, de claris Oratoribus, cap. 5. Immo in Epistolis ad Atticum XIV, 1, tradit Julium Cæsarem animadvertisse, cùm Brutus pro Dejotaro Nicæœ dixerit, valde vehementer eum visum & libere dicere. Sed cùm haberetur hic dialogus, aliæ erant Romanorum aures, & ingeniosiores, ac proinde difficiliores.

Bibliothecas. Memorantur adhuc infrà cap. 37.

Menenios & Appios. Menenium Agrippam & Appium Cæcum; de quibus dictum suprà cap. 17, & 18.

Studuisse. Sic & Quintilianus, *Institut. Orat.* X, 1. *Multa in Afinio Pollione inventio, summa diligentia: adeò ut quibusdam etiam nimia videatur, & consilii & animi satis: a nitore & jucunditate Ciceronis ita longè abest, ut videri possit sæculo prior.*

Exsurgit toris. Sic Plinius V, Ep. 8, de oratione & historiâ: *hanc sæpiùs offa, musculi, nervi, illam tori quidam & quasi jubæ decent.*

Corvinum. M. Corvinum Messalam; de quo Quintilianus, *Institut. Orat.* X, 1. *At Messala nitidus & candidus, & quodammodo præ se ferens in dicendo nobilitatem suam, viribus minor.* Vide & Plinium V, Ep. 3.

Viderimus, inquam. Pro inquam, vel emendandum in quantum: eo sensu, licet Corvinum non inseparar, viderimus tamen in quantum judicio ejus vis aut animi, aut ingenii, sufficerit: vel fortè legendum, *utinam judicio ejus vis aut animi, aut ingenii sufficeret.*

CAP. XXII. Sententias. Sententiarum sensumque discrimin docet Quintilianus, *Institut. Orat.* VIII, 5. *Consuetudo jam tenuit, ut mente concepta*

concepta sensus vocaremus: lumina autem, præcipueque in clausulis posita, sententias.

Aurum & gemmæ. Insignis locus, quo privatam horum temporum elegantiam & opulentiam docemur.

Sæpius liceat. Fortè libeat, ut Rodolpho Agricola & Lipsio placebat.

Morem Annalium. Hæc cùm essent veterum Annalium vitia, ab iis ita se vindicavit Tacitus, ut ejus Annalibus nihil sit acrius, vividius, & splendidius.

Terminet. Id quoque sapienter monet Quintilianus, Institut. Orat. IX, 4. Verbo sensum cludere, multò, si compositio patiatur, optimum est. In verbis enim sermonis vis inest. At si id asperum erit, cedat hæc ratio numeris, ut fit apud summos Græcos Latinosque oratores frequissimè.

CAP. XXIII. *Rotam fortunæ. Hæc aliaque frigidiora habet Cicero in Pisonem, cap. 10. Quis te illis diebus sobrium, quis agentem aliquid, quod esset libero dignum, quis denique in publico vedit? cùm collegæ tui domus cantu & cymbalis personaret, cùm ipse nudus in convivio saltaret: in quo ne tum quidem, cùm illum suum saltatorium versaret orbem, fortunæ rotam pertimescebat.*

Jus Verrinum. Ea quoque, a Verris nomine ad jus e verrinâ, seu porcinâ, carne expressum alludens, crepat Cicero in Verrem I, 46. Hinc illi homines erant, qui etiam ridiculi inveniebantur ex dolore: quorum alii, ut audistis, negabant mirandum esse, jus tam nequam esse Verrinum.

Tertio quoque sensu. Sensum hic & apud Quintilianum, Institut. Orat. IX, 4, Gallicè dicimus une phrase.

Lucilium pro Horatio. Quintilianus, *Institut. Orat. X*, 1. *Lucilius quosdam ita deditos sibi adhuc habet amatores*, ut eum non ejusdem modo operis, sed omnibus poetis præferre non dubitent. *Ego quantum ab illis, tantum ab Horatio dissensio*, qui *Lucilium fluere lutulentum*, & esse aliquid, quod tollere possis, putat. *Nam & eruditio in eo mira*, & libertas, atque inde acerbitas, & abundè salis. *Multò est tersior ac purus magis Horatius*, & ad notandos hominum mores præcipiuus.

Lucretium pro Virgilio. Neque adhuc Lucretianus ille favor penitus intercidit. In plurimis quidem eminet Lucretius, at in omnibus ferme Virgilius.

Aufidii Bassi, aut Servili Noniani. De his duobus historiæ scriptoribus Quintilianus, *Instit. Orat. X*, 1. *Servilius Nonianus . . . ipse a nobis auditus est*, clari vir ingenii, & sententiis creber, sed minus pressus, quam historiæ auctoritas postulat. *Quam, paullum ætate præcedens eum Bassus Aufidius*, egregie, utique in libris belli Germanici, præstítit, genere ipso probabilis in omnibus, sed in quibusdam suis ipse viribus minor. De Servilio Noniano plura vide suprà Annal. VI, 31. & XIV, 19.

Sisennæ aut Varronis. Varronem, Romanorum eruditissimum, nemo non novit. Sisenna, idem est, de quo Quintilianus, *Instit. Orat. I*, 50. *Sisenna dixit, assentio.* & VIII, 3. *Cæcilius ac Sisenna* primi dixerunt, albenti cælo. Paucis vero Sisennæ indolem expressit Cicero, de claris Oratoribus, cap. 64. L. *Sisenna, doctus vir*, & studiis optimis deditus, bene latine loquens, gnarus reipublicæ, non sine facetiis: sed neque laboris multi, nec satis versatus in causis.

Fabulantes. Bene. Nam non orabant, sed fabulabantur.

Non firmitate. Bene Schelius. Male alii, infirmitate.

Secunde. Quem valde laudat Quintilianus, *Institut. Orat. X*, 1. *Julio Secundo si longior contigisset ætas, clarissimum profectò nomen oratoris apud posteros foret. Adjecisset enim, atque adjiciebat ceteris virtutibus suis, quod desiderari potest. Id est autem, ut esset multò magis pugnax, & sèpius ad curam rerum ab elocutione respiceret, Ceterùm interceptus quoque magnum sibi vindicat locum.* Ea est facundia, tanta in explicando, quod velit, gratia: tam candidum, & lene, & speciosum dicendi genus: tanta verborum, etiam quæ assumpta sunt, proprietas: tanta in quibusdam ex periculo petitis significantia.

Dicituri sint. Rectè enim Quintilianus, *Instit. Orat. III*, 1. *Ad posteros enim virtus durabit, non perveniet invidia.*

CAP. XXIV. *A vestris Philosophis. Academicis scilicet.*

Ratio temporum. Quam vide suprà cap. 17.

CAP. XXV. *Parti sermonis ejus.* Suprà cap. 18.

Si quominus fatetur. Ita veteres editiones. Benc emendabat Illustr. Huetius, *immo nos fatemur, vel quominus fateamur;* ut postulat orationis series.

Lycurgus. Lysiae, Lycurgi, Demosthenis & Hyperidis, celeberrimorum Græciæ oratorum, vitas scripsit Plutarchus, Tom. II, pag. 835 & seqq.

Ferunt. Præ se ferunt, vel libris suis ferunt. Sic ferme suprà Hist. II, 65, *lætitiam & gratulationem vultu ferens.*

An invidenter Ciceroni. Observat tamen Illustr. Huetius: *Brutus potuit Ciceroni eloquentiam*

invidere, et si Cæsari tyrannidem non invidereret; quam oderat & damnabat.

C. Lælium. De Servio Galbâ dictum suprà cap. 18. Eloquentiâ quoque præstítit C. Lælius, consul anno Urbis conditæ DCXIV. Sed & ipse antiquior atque horridior: &, cùm sint in dicendo variæ voluntates, delectari mihi magis antiquitate videtur, & lubenter verbis etiam uti paullo magis priscis. Cicero de claris Oratoribus, cap. 21.

Non exigit. Illustr. Huetius corrigebat, non exigit id, vel non exigunt.

CAP. XXVI. C. Gracchi. Jam laudati suprà cap. 18. Eum præstantissimo ingenio & flagranti studio fuisse, nec quemquam pleniorem & uberiorem ad dicendum testatur Cicero de claris Oratoribus cap. 33.

L. Crassus. In Crasso erat, teste Cicerone; loc. cit. cap. 38, summa gravitas, erat cum gravitate junctus facetiarum & urbanitatis oratorius, non scurrilis lepos. Latinè loquendi accurata & sine molestiâ diligens elegantia: in differendo mira explicatio.

Calamistros Mæcenatis. Locum hunc Taciti laudavit Pomponius Sabinus, medix ætatis grammaticus. Vide Testimonia Veterum. Mæcenatis autem calamistros notos pariter ac ridiculos facit Seneca, Ep. 114. *Videbis itaque eloquentiam ebrii hominis involutam, & errantem, & licentiæ plenam. Mæcenas in cultu suo. Quid turpius, « Amne silvisque ripâ comantibus »? Vide ut « Alveum lentribus arent, versoque vado remittant hortos ». Quid? « Si quis feminæ cirro crispatæ & labris columbatur ». Incipitque suspirans, ut « cervice laxâ feratur » . . . « Nemo tyranni ». « Irremediabilis factio ». « Rimantur epulis, lagenâque tentant morbos, & sœpe*

» mortem exigunt » . . . « Genium festo vix suo testem ». « Tenuis cerei fila , & crepacem molam » . . . « Focum mater aut uxor investiunt ». Non statim , cùm hæc legeris , occurrit , hunc esse , qui , solutis tunicis , in Urbe semper incesserit . Sed tota hæc epistola omnino legenda . Plena est rerum , & in artis scribendi præceptis eximia .

Tinnitus Gallionis. Gravitatem tamen Gallionis laudat Sidonius Apollinaris V, Ep. 10. Sed , corruptâ Sidonii ævo eloquentiâ , gravitas nominabatur oratio antithetis tinniens . Oratoria Gallionis , patris , scripta memorat Quintilianus , *Institut. Orat.* III , 1. Utrum idem sit , ac Junius Gallio , Senecæ frater , de quo suprà Annal. XV , 73 , non satis compertum . Verè autem dixit Quintilianus , *Institut. Orat.* II , 3. *Tumidos , & corruptos , & tinnulos , & quocumque alio cacozelicæ genere peccantes , certum habeo non virium , sed infirmitatis vitio laborare : ut corpora non robore , sed valetudine inflantur.*

Tenere dicere. Id quoque queritur Plinius II , Ep. 14. *Pudet referre , quæ , quam fractâ pronuntiatione dicantur ; quibus quam teneris clamoribus excipientur. Plausus tantum , ac sola cymbala & tympana illis canticis desunt.*

Cassium Severum. De cuius ingenio vide notata suprà cap. 19.

Quam sanguinis. Bene quidem . Multum enim dabat stomacho , at color & gravitas orationis deerant . Inde plus ei vis , aut roboris , quam sanguinis , aut coloris .

Scholasticorum. Rhetorum , seu rhetorices præceptorum ; ut infrà cap. 29.

Post Gabinianum. Tunc oratoriâ famâ insignem . Eusebius in Chronic. ad VIII Vespasiani annum : *Gabinianus , celeberrimi nominis rhetor , in Galliâ docuit.*

CAP. XXVII. *Solitum tractare.* Vide supra cap. 15; & mox infrà cap. 28 & seqq.

Miratus. Fortè emendandum *mirati sumus.* Intelligi tamen potest, *miratus sum.* Ni fortè conjiciendum, *causas exquirimus, quas te solitum tractare, paullo antè dixisti, planè mitiore eloquentiâ, & temporum nostrorum, iratus antequam te Aper,* &c. Quâ de re plura dixi in priore Taciti editione, Tom. IV, pag. 252.

CAP. XXVIII. *Corneliam Gracchorum.* Cicero de clar. Orat. cap. 27. Fuit *Gracchus diligentia Corneliae matris a puero doctus, & Græcis literis eruditus:* deinde cap. 58. Legimus epistolas *Corneliae, matris Gracchorum;* apparet filios non tam in matris gremio educatos, quam in sermone matris. De laudibus *Corneliae* plura habet Plutarchus in *Gracch.* pag. 836. Ei statua Romæ posita, de quâ Plin. XXXIV, 6. Exstant *Catonis in censurâ vociferationes, mulieribus Romanis in provinciis statuas ponî.* Nec tamen potuit inhibere, quod minùs Romæ quoque ponerentur, sicuti *Corneliae Gracchorum matri, quæ fuit Africani (Scipionis majoris) prioris filia.* Sedens huic positu, soleisque fine amento (id est, sine loro) *insignis, in Metelli publicâ porticu: quæ statua nunc est in Octaviæ operibus.*

Aureliam Cæsarî. Aurelia C. Julii Cæsarî, dictatoris, mater. Vide Stemma Cæsarum, num. 2, supra Tom. II, pag. 403.

Atiam. De Atiâ, Augusti matre, dictum quoque in Stemmate Cæsarum, num. 14.

CAP. XXIX. *Et erroribus.* Hac de re, sicut de ceteris omnibus, quæ ad optimam liberorum educationem pertinent, vide Plutarchum, Tom. II, pag. 1. Περὶ παιδῶν ἀγωγῆς.

Infante Domino. Egregiè Juvenalis, Satyr.
XIV, 44.

*Nil dictu fædum visuque hæc limina tangat,
 Intra quæ puer est: procul hinc, procul inde puellæ
 Lenonum, & cantus pernoctantis parasiti.
 Maxima debetur puero reverentia. Si quid
 Turpe paras, nec tu pueri contempseris annos:
 Sed peccaturo obfistat tibi filius infans.*

Alia plura & egregia de hoc argumento ibidem vide.

Libertati. Libertatem pro licentiâ effrenique libidine usurpavit quoque Tullius.

Histrionalis favor. Qui Romæ vigebat maximè. Inde Petronius in Satyrico, cap. 5, studiosum juvenem monet,

*Neve plausor in scenâ
 Sedeat redemptus histrioniæ addiclus.*

Ambitione salutantium. Malè, salutantium: Optimè emendant Acidalius, Schelius & Schultingius, salutationum. Præceptores enim salutabant parentes, liberis adulabantur, sicque discipulos colligebant.

Statim docuero. Vide infrà cap. 35.

CAP. XXX. Brutus inscribitur. Exstat adhuc liber optimus, nec umquam satis laudandus legendusque, qui *Brutus*, seu *de claris Oratoribus*, inscribitur.

Q. Mucium. Quintum Mucium Scævolam; de quo Cicero, de claris Orat. cap. 89, Ego autem, juris civilis studio, multùm operæ dabam Q. Scævolæ, P. F. Memoratur quoque in Digest. libr. I, Tit. 2, de Origine Juris, Leg. 2, ex Pomponio, num. 45.

Philonem Academicum. Cicero loc. cit. Eodem-
R iv

*que tempore, cùm princeps Academiæ Philo...
Romam venisset, totum ei me tradidi.*

Diodotum Stoicum. Quem laudat Cicero, ibid. cap. 90, *Eram cum Stoico Diodoto... a quo cùm in aliis rebus, tum studiosissimè in dialecticâ exercebar.*

Contentum. Cicero ibid. cap. 91. *Itaque cùm essèm biennium versatus in causis, & jam in foro celebratum meum nomen esset, Româ sum profectus. Cùm venissem Athenas, sex menses cum Antiocho, veteris Academiæ nobilissimo & prudentissimo philosopho, fui.... Eodem tamen tempore Athenis apud Demetrium Syrum veterem & non ignobilem dicendi magistrum, studiosè exercere solebam. Post a me Asia tota peragrata est, cum summis quidem oratoribus, quibuscum exercebar ipsis luentibus.*

Dialecticæ. De quâ Quintilianus, *Institut. Orat. XII, 2, Hæc pars dialectica, sive illam dicere malimus disputatricem, est utilis sœpe & finitionibus, & comprehensionibus, & separandis, quæ sunt differentia, & resolvenda ambiguitate, & distinguendo, dividendo, illiciendo, implicando.... Jam quidem pars illa moralis, quæ dicitur Ethice, certè tota oratori est accommodata.*

Moralis partis. Cicero, de Fato, cap. 1. *Nos eam partem philosophiæ, de moribus appellare solemus: sed decet augentem linguam Latinam nominare moralem.*

CAP. XXXI. Controversiis. Quales adhuc existant Senecæ controversiæ, & Quintiliani declamationes.

His artibus. Nec aliter Petronius, in Satyrico, cap. 5.

Mox & Socratico plenus grege, mittat habenas

Liber, & ingentis quatias Demosthenis arma.

Mutuabimur a Peripateticis. Locum hunc restituimus ex Mſſ. Vatic. Vide priorem Taciti editionem, Tom. IV, pag. 253.

Paratos jam locos. His de locis libros octo Topicorum edidit Aristoteles, Peripateticorum princeps. Vide & Ciceronem, Topic. cap. 1 & 2.

Academici pugnacitatem. Academicis enim mos est in utramque partem differendi; quod ad exercitationem forensium causarum proxime accedit. Quintilianus, Institut. Orat. XII, 2. Quænam philosophiæ secta magis ad eloquentiam conferat ibi expendit. Peripateticam & Academicam anteponebat Cicero libr. III, de Oratore.

Honestas quædam exclamations. Exclamations illas ἀναρρωγάσματα ἐπε appellabat Epicurus, iisque sæpiissimè utebatur. Exempla suppeditat vita Epicuri apud Diogenem Laertium, libr. 10. Vide quoque notas Casauboni, cap. 5. Metrodorus autem discipulus fuit Epicuri. Utriusque herma, conjunctis capitibus, repertus est anno 1743 Romæ in Liberianæ Basilicæ fundamentis, ut docet P. Galeotti, Ficoroni Gemmæ illustratæ, pag. 136.

Artes audire. Verius, adire.

CAP. XXXII. *Simplex quiddam.* Sufficere ut, cùm tempus resque postulant, simplicia quædam & uniformia artium principia a peritis doceamus.

Sine ingenuitate. Ingenuitas servituti opponitur. Ingenui sunt, qui ex matre liberâ nati sunt, Digest. libr. I, de Statu hominum, Leg. 5, ex Marciano.

Memoriæ proditum est. Idem prodit Quintilianus, Institut. Orat. XII, 2. Constat Demosthenem, principem omnium Græciæ oratorum, dedisse operam Platoni. Nam M. Tullius, non tantum se debere scholis rhetorum, quantum Academicæ

spatiis, frequenter ipse testatus est. Neque sentanta in eo umquam fudisset ubertas, si ingenium suum conseruo fori, non ipsius naturae finibus terminasset.

Hoc audirent. Mallem, forte haec audierint.

CAP. XXXIII. *Facultate.* Facultate dicendi. Sic ab Asinio Pollio egregie dictum: *Commodè agendo factum est, ut saepe agerem: saepe agendo, ut minus commodè: quia scilicet assiduitate nimia facilitas magis quam facultas, nec fiducia, sed temeritas paratur.* Facultatem quoque pro ex temporali dicendi facilitate usurpavit Quintilianus, *Institut. Orat. II, 4.*

Nisi ut. Mallet Illustr. Huetius, nisi &.

Propriæ circa oratoriam. Emendandum videatur, propriæ oratorum.

CAP. XXXIV. *Nec adversarii.* Nec deerant adversarii & æmuli, qui ferro, non rudibus dimicabant.

Non rudibus. Rudis, erat virga, quam gladiatorum tirones exercebantur, antequam ferro mucronibusque dimicarent.

Nec bene dicta. Emendabat Rodolphus Agricola, *Nec bene nec male dicta.* Ad sensum appositi.

Solus statim & unus. Bene Illustr. Huetius: *Non hoc sibi vult nullum alium præter ipsum cuiuscumque causæ parem fuisse, sed quamcumque causam ad eum detulisset, solum ipsum, nullo subsidium assumpto, nullius advocate auxilio, sustinere ipsam potuisse.*

Nonodecimo. Error aliquis in numeris irrepsit. Natus est enim L. Crassus, teste Cicerone de clar. *Orat. cap. 43,* Q. Cæpione & C. Lælio consulibus, anno Urbis conditæ DCXIV. Consul fuit **C. Papirius Carbo** anno U. C. DCXXXIV. Anno

sequenti Carbonem accusavit Crassus annos natus unum & viginti , ut ipse testatur apud Ciceronem libr. III , de Oratore , cap. 74 , ipse omnium matrīmē ad publicas causas accessi , annosque natus unum & viginti nobilissimum hominem & eloquentissimum in judicium vocavi . Postea maturius oratum fuisse testis est Plinius V , Ep. 8 , qui undevicesimo ætatis anno dicere in foro cœpit . Nobis quoque non defuere præmaturæ eloquentiæ exempla . Visus est superiore sæculo Jacobus Corbin , quem Senatus Parisiensis in album advocatorum retulit annos tantum tredecim natum : primam causam publicè egit die primâ mensis Aprilis , anno 1632 , ætatis suæ quartodecimo .

Uno & vigesimo. Julius Cæsar natus est anno U. C. DCLIV , Cornelium Dolabellam , consularem & triumphalem virum , repetundarum postulavit anno U. C. DCLXXVII , ut videtur ex Suetonio in Jul. IV , & ex Plutarcho in Jul. pag. 708 . Ergo tunc viginti tres , aut viginti quatuor annos natus erat Cæsar .

Calvus Vatinium. De Calvo dictum suprà cap. 17. Is Vatinium de ambitu accusavit . Paucis Quintilianus , Institut. Orat. XII , 6 , *Calvus, Cæsar, Pollio* , multum ante quæstoriā omnes ætatem gravissima judicia suscepérunt .

CAP. XXXV. *Scenas scholasticorum.* Bene Lipsius : Appositè *scenas* appellat , loca in quibus fucata illa & personata eloquentia exercetur velut per lusum .

Ciceronis tempora. Rethores Româ pulsi sunt Valerio Messalâ & Fannio Strabone , consulibus , anno U. C. DXCIII , Gellius XV , 11. Natus est verò Tullius , Q. Cæpione & Q. Serrano , consulibus , anno U. C. DCXLVIII , teste eodem Gellio XV , 28.

L. Crasso & Domitio. Anno U. C. DELXII
censores fuere Lucius Licinius Crassus & Cneius
Domitius Ahenobarbus: quorum memoria exstat
in numinis familiæ Domitiæ, L. LIC. CN.
DOMIT. Eorum decretum de rhetoribus refert
Suetonius, de clar. Rhet. cap. 1. Renuntiatum est
nolis esse homines, qui novum genus disciplinæ
instituerunt: ad quos juventus in ludos conveniat:
eos sibi nomen imposuisse Latinos rhetoras: ibi
homines adulescentulos totos dies desidere. Ma-
jores nostri, quæ liberos suos discere, & quos in
ludos itare vellent, instituerunt. Hæc nova, quæ
præter consuetudinem ac morem majorum fiunt,
neque placent, neque recta videntur. Quapropter
& iis qui eos ludos habent, & iis qui eò venire
consueverunt, videtur faciendum, ut ostendamus
nostram sententiam, Nobis non placere. Vide &
Gellium XV, 11.

Ludum impudentiæ. Cicero libr. III, de Oratore,
cap. 94, L. Crassum hac de re ita loquentem
inducit: *Hos verò novos magistros nihil intellige-
bam posse docere, nisi ut auderent: quod, etiam
cum bonis rebus coniunctum, per seipsum est magnopere
fugiendum.* Hoc cùm unum traderetur, &
cùm impudentiæ ludus esset, putavi esse censoris,
ne longius id serperet, providere.

Suasoriæ & controversiæ. Exstant adhuc M.
Annæi Senecæ, rhetoris, suasoriarum liber unus,
controversiarum libri decem.

Per fidem. Exclamatio, ut proh fidem!
Dii!

Tyrannicidarum præmia. Præmia, quæ, occiso
tyranno, tyrannicidæ petebant. Hujus argumenti,
eorumque quæ sequuntur, quæque adolescentibus
proponi numquam debuissent, exempla manent
plurima in Senecæ, Quintiliani & Calpurnii Flacci
declamationibus.

Vitiatarum electiones. Frequens enim in his Scholis declamationum materia , raptæ , quæ raptoris mortem , vel nuptias optabant. Inde vitiarum electiones.

Pestilentiae remedia. Absurda hæc argumenta jam exsibilaverat Petronius in Satyrico , cap. 1. Ideo ego adolescentulos existimo in scholis stultissimos fieri , quia nihil ex iis , quæ in usu habemus , aut audiunt , aut vident , sed piratas cum catenis in litore stantes , & tyrannos edicta scribentes , quibus imperent filiis ut patrum suorum capita præcidant ; sed responsa in pestilentiam data , ut virgines tres aut plures immolentur , sed mellitos verborum globulos , & omnia dicta factaque quasi papavere & sesamo sparsa. Qui inter hæc nutriuntur , non magis sapere possunt , quam bene olere qui in culinâ habitant. Talia quoque & absurdâ argumenta repudiavit Quintilianus , Instit. Orat. II, 10 , Sint ergo & ipsæ materiæ , quæ fingenuntur , quam simillimæ veritati. Nam magos , & pestilentiam , & responsa , & sæviores tragicis novercas , aliaque magis adhuc fabulosa , frustra intersponiones & interdicta quæremus. Fingebant enim isti rhetores pestilentia tempore adiri oracula , vates consuli , responderi immolandam virginem , aliave similia , quæ mirum in modum exaggerabant.

Ventum est. Hic multa periere : extrema scilicet sermonis Messalæ , integra Julii Secundi oratio : initia quoque periere in sermone Materni , ad quem hæc referas , rem cogitare , nihil humile , &c. Ne hiulca maneret pars illa dialogi utilissima , & oratoriam artem ex usu Romanorum hujusque sæculi moribus explicarem , opus fuit defectum hunc locum supplere. Idque tanto libenter praæstigi , quod in priore Taciti editione curas huc non extenderam.

CAP. 1. *Juvenes puerilibus institutis.* Hæc prima sunt Supplementi nostri verba, quæ satis indicat ipsa dialogi series.

Umbratici doctores. Umbraticos illos doctores eorumque vitia irrident Petronius initio Satyrici & Plinius Ep. II, 14.

CAP. 2. *Longâ ac severâ.* Hæc vitia arguit Petronius, loc. cit. Parentes objurgatione digni sunt, qui nolunt liberos suos severâ lege proficere. Primum enim sicut omnia, spes quoque suas ambitione donant: deinde cum ad vota properant, cruda adhuc studia in forum propellunt, & eloquentiam, quâ nihil esse majus confitentur, pueris induunt adhuc nascentibus. Quod si paterentur laborum gradus fieri, ut studiosi juvenes lectione severâ mitigarentur, ut sapientiae præceptis animos componerent, ut verba atroci stylo effoderent, ut quod vellent imitari diu audirent, sibi nihil esset magnificum quod pueris placeret.

CAP. 3. *Ad Maternum & Secundum conversus:*
Id postulat superior dialogi pars.

CAP. 4. *In scholis rhetorum.* Inde Petronius loc. cit. Pace vestrâ liceat dixisse, primi omnem eloquentiam perdidistis. Levibus enim atque inanibus sonis ludibria quædam excitando effecisti, ut corporis orationis enervaretur & caderet.... Grandis, &, ut ita dicam, pudica oratio non est maculosa, nec turgida, sed naturali pulchritudine exsurgit. Nuper ventosa ista & enormis loquacitas Athenas ex Asi commigravit &c.

CAP. 5. *L. Annæi Senecæ.* Ejus virtutes vi-
tiaque diligenter notavit Quintilianus, Institut.
Orat. X, 1.

CAP. 6. *Nova hæc orationis species.* Ita placuit Senecæ ingenium, ut postea ii ipsi, qui Ciceronem laudabant, & eloquentiæ laudem affectabant, in Senecæ imitationem semper reciderent, ejusque flosculos sectarentur. Nec umquam, dum adhuc stetit Romanum imperium, revixit eloquentia.

CAP. 7. *Ejus filiorum. Titi & Domitianus.* Uterque literarum studiis inclinavit.

Aliquo consulari producente. Hæc quidem fusè explicat Plinius Ep. II, 14. Eumdem è de re adhuc vide Ep. VIII, 14.

CAP. 8. *Largius Licinius.* Plinius, Ep. II, 14: *Primus hunc audiendi morem induxit Largius Licinius: haçtenus tamen, ut auditores corrugaret.* Ita certè ex Quintiliano, præceptore meo, audisse memini.

Domitius Afer. Jam sæpe laudatus. Vide & suprà Annal. IV, 52. & XIV, 19.

Conduicti & redempti. Nomenclatores suos ternis denariis, Gallicæ monetæ libris & cum assibus ferme 7, ad laudandum tractos memorat Plinius, Ep. II, 14. Tam exigua mercede parabatur apud imperitos disertissimi fama. Penes autem peritos tantò major erat contemptus. Unde Plinius, ibid. Scito eum pessimè dicere, qui laudabitur maximè.

Laudicenos. Plinius, ibid. *Inde jam non inurbanè σοφοκλεῖς vocantur: iisdem Latinum nomen impositum est laudiceni: & tamen crescit in dies fæditas utrâque linguâ notata.* Inter acclamations præcipua erat σοφῶς. Inde Martialis, Epigramm. I, 50.

Mercetur alias grande & insanum sophos,
Ideoque dicebantur σοφοκλεῖς.

CAP. 9. *Haud miror, Materne.* Maternum dialogo finem imposuisse videre est ex iis quæ sequuntur.

CAP. 10. *Ut modò dixi.* Vide suprà cap. XI & XII.

CAP. 11. *Unus eminere cœpit.* Quintilianus tum Romæ profitebatur rhetoricam artem. Exstant adhuc ejus *Institutiones oratoriæ*, optimum præstantissimumque artis monumentum.

CAP. 12. *Patitur exemplar.* Ea lex apud Græcos, apud Romanos viguit. Viget & apud nos. Utinam non vigeat semper; deturque nobis vincere egregia, quæ tulimus, exemplaria.

CAP. 13. *Eloquentiâ suâ.* In acerrimis tantum ingeniis, & ex acerrimis causis, nascitur eloquentia. Nihil autem libertate acrius.

CAP. 14. *Ob patriam tantum & publicam.* Hæc sunt suprema Supplementi nostri verba ab iis ipsis, quæ mox sequuntur, satis indicata.

Rem cogiture, nihil humile. Haftenus Dialogum supplevi. Ea autem verba Taciti sunt.

CAP. XXXVI. *Consecuti sunt.* Vide quæ hac de re dicta sunt suprà Annal. XI, 7.

Beata republica. Hæc ad Principum, ac maximè ad Vespasiani Imperatoris laudes referas.

Domibus inimicitiæ. Quia invisa præpotentes domus.

Apud principes. Sic infrà cap. 40, P. Scipio, Sylla, Pompeius, *principes viri* appellantur.

Exterarum nationum. Urbes, provinciæ, nationes exteræ, patronos suos Romæ habebant. Exemplum vidimus suprà pag. 345, not. 1.

Nisi qui. Emendandum, *nisi quis*; ut rectè annotavit Lipsius.

Testimonia. Tunc ergo in publicis judiciis non absentes nec per tabellam testimonia dare, sed coram & præsentes dicere cogebantur. Quo in usu plurimum valebat eloquentia. De his testimoniis Quintilianus, V, 7. *Maximus tamen patronis circa testimonia sudor est.* Ea dicuntur aut per tabulas, aut a præsentibus. Simplicior contra tabulas pugna. Minor enim pudor, & pro diffidentiâ premitur absentia.... Cum præsentibus verò ingens dimicatio est, ideoque velut duplicit contra eos, proque his acie configitur, actionum, & interrogationum.

In publicis. Rodolphus Agricola supplet, *in publicis judiciis.* Ernestus emendat, *in judiciis.*

Et commoda. Hæc redundare videntur. Ni fortè sit emendandum, nec modò disertum haberi, &c.

CAP. XXXVII. *A Muciano.* Cujus frequens fuit mentio in Historiarum libris. Ejus mores vide Hist. II, 5.

Actorum libris. Ergo collecta veterum oratorum acta libris undecim, eorumque epistolæ tribus libris.

M. Crassum. M. Crassi ingenium eloquentiamque exprimit Cicero, *de claris Oratoribus*, cap. 66. Ibidem & in libris *de Oratore*, videre est laudes Lentulorum, Metellorum, Lucullorum & Curionum.

Aut formula. De formulâ dictum suprà cap. 1. Quæstiones autem de interdictis & furtis vide in Digest. libr. XLIII, Tit. 1. & libr. XLVII, Tit. 2.

Nihil tale patimur. Hæc ad Vespasiani laudem adhuc pertinent. Vide jam dicta cap. sup.

Adversus tutores suos. Demosthenes , annos septem natus , patrem amisit : tutores habuit Aphobum , Therippidem , & Demophontem ; quos , cùm rem pupillarem suos in usus vertissent , malè administratæ tutelæ accusavit , reosque peregit anno ætatis suæ septimodecimo. Exstant adhuc tres ejus orationes adversus Aphobum . Demosthen. pag. 895 & seqq.

Circumdederunt. Sic suprà in Vit. Agric. XX. *Egregiam famam paci circumdedit.*

Exsistit. Placebat Lipsio , exsistit.

Eo acrior. Eò acrior est orator , qui pugnas illas asperas sibi desumpserit , tantò altior est & excelsior ; & illis nobilitatus criminibus , melius discriminibus , in ore hominum agit , quorum ea est natura , ut tuta spernant , sectura velint. Tuta dicuntur , quæ sunt sine discrimine , secura , quæ cum discrimine. Legendum discriminibus jam monuere Lipsius & Latinus Latinius.

CAP. XXXVIII. *Aptior est veritati , eloquentiam tamen.* Locum hunc optimè restituit Rodolphus Agricola ; faventque Mss. Vatic.

Intra paucissimas horas. Sic , cùm Julium Bassum , repetundarum reum , defenderet Plinius , e lege accusator sex horas , novem reus accepit , Plin. IV , Ep. 9. Adeò jam circumscripta erant dicendi tempora ; quæ postea magis adhuc coarctata. Id queritur Plinius VI , Ep. 2. *Increbuit passim & invaluit consuetudo , binas vel singulas clepsydras interdum & dimidias , & dandi , & petendi.* Nam & qui dicunt , egisse malunt , quām agere ; & qui audiunt , finire , quām judicare. Tanta negligentia , tanta desidia , tanta denique irreverentia studiorum periculorumque est. An nos sapientiores majoribus nostris ? nos legibus ipsis iustiores , quæ tot horas , tot dies , tot comperen-

ditiones largiuntur! hebetes illi & supra modum tardi! Nos apertiūs dicimus, celeriūs intelligimus, religiosiūs judicamus, qui paucioribus clepsydris præcipitamus causas, quam diebus explicari solebant! Temerarium existimo, divinare quam spatiofa sit causa inaudita, tempusque negotio finire, cuius modum ignores: præsertim cum primam religioni suæ judex patientiam debeat, quæ pars magna justitiæ est.

Comperendinationes. Comperendinatio est ab utrisque litigatoribus invicem sibi denunciatio in perendum, seu tertium, diem, Asconius Pedianus in Accusat. Verris, pag. 75.

Tertio consulatu. Tertium consulatum iniit Cneius Pompeius anno Urbis conditæ DCCII, ante Christum 52; primò sine collegâ: deinde collegam adsumpsit Q. Metellum Scipionem.

Causæ centumvirales. Quæ coram centumviris agebantur. De his dictum suprà cap. 7.

Pro heredibus Urbiniæ. Quintilianus, *Institut. Orat. IV, 1.* Asinius pro Urbiniæ heredibus Latiensem, adversarii patronum, inter argumenta malæ causæ posuit. De totâ lite vide eundem Quintilianum, ibid. VII, 2.

CAP. XXXIX. *Penulas istas.* Penulæ istæ oratorum penulis viatorum, Gallicè des manteaux, non absimiles fuisse videntur. De his Cicero, pro Milone, cap. 20. *Quid minus promptum pugnæ? cum penulâ irretitus, rhedâ impeditus, uxore pene constrictus esset.* Non inelegantem de penulâ dissertationem scripsit Joannes Baptista Donius.

Auditoria & tabularia. De auditoriis jam actum suprà cap. 9 & 34. Tabularia verò, loca erant, ubi tabulæ æraque publica adservabantur, quibus leges, forma agrorum, aliaque id genus continebantur, quæque in controversiis inspiciebantur,

ut videre est in Digest. libr. XLVIII, Tit. 13. Ad legem Julianam Peculatūs, Leg. 8, *de Tabulis*. Porro in his auditoriis & tabulariis causæ expli-cabantur, non verò orabantur. Ac proinde nullus eloquentiæ impetus, nullus calor, vigor nullus: quâ de re vide elegantissimam Plinii epistolam II, 19.

Patronus indicit. Cl. Morabin, emendat, *pa-tronu*: Cl. de la Monnoye, *patronis*. Fortè tamen, ob verborum compagem, quæ vix mutationem patitur, nihil hīc peccat. Sed patronus, qui causam præcipitare volebat, probationibus & testibus, quasi causâ satis cognitâ, nec refragan-tibus judicibus, silentium indicebat.

Ac alter. Mallem, aut alter. Sic enim loque-bantur antiqui; & particulâ ac ante vocalem ab-stinebant.

Adsistit. Contrà verò olim auditorium semper plenum, semper novum, ut vidimus suprà cap. 34.

L. Bestiam. Oratio Ciceronis pro L. Bestia periit: ceteræ, quæ hīc memorantur, vel mutilæ, vel refectæ. Una in Vatinij exstat integra. De oratione pro Bestiâ vide Ciceronem ad Quintum Fratrem III, Ep. 2.

CAP. XL. *Histriones auribus.* Melius sanè; *auribus histriones*.

Pateretur & leges. Non tanti fuit reipublicæ Tiberii & Caii Gracchorum eloquentia, ut se-ditiosas eorum leges pateretur.

Nec bonæ. Melius, nec bene. Favet Ms. Vatic. 1862, in quo quidem scriptum, *bonæ*, sed suprà scriptum, *bene*.

Tali exitu. Scelere Antonii peremptus. Vide Velleium Paterculum II, 66.

CAP. XLI. *Quod supereft ex antiquis oratoribus,*

Forum ipsum , quod superest ex antiquis oratoribus , non est argumentum emendatæ & ad votum compositæ civitatis. Malè libri editi , quod supereſt antiquis oratoribus. Emendabat Gronovius , antiqui. Multò probabilius est excidisse præpositiōnem ex.

Sapientissimus & unus. Laus est Vespasiani ; qui in nummis appellatur , ADSERTOR LIBERTATIS PVBLICAE. FELICITAS PVBLICA. FIDES FELICITATIS. Inde cùm Plinius II , 7 , innumerabilia deorum agmina a mortalibus reperta memorasset , addit : *Deus est mortali juvare mortalem , & hæc ad æternam gloriam via. Hac proceres iere Romani : hac nunc cœlesti passu cum liberis suis vadit maximus omnis ævi rector Vespasianus Augustus fessis rebus subveniens.*

CAP. XLII. *Plura dici vellem.* Inde quidam opinantur alterum habitum fuisse dialogum , qui periit. At in his disputationibus cùni & modestiæ sit , ut nemo se victorem arrogantiūs prædicet , & humanitatis , ut nemo se victum fateatur , sic sæpe concluduntur , quasi adhuc anceps sit quæſtio , & enucleatiūs explicanda. Nec aliter apud Ciceronem de Naturâ deorum , III , 40 , Balbus , Cotta & Velleius discedunt. Integer ergo est ex hac parte dialogus. Utinam alia multa , quæ notavimus suprà cap. 35 , non periissent ! Ut in Annalium Historiarumque libris absolutissimum habemus politicæ artis monumentum , in libro de Moribus Germanorum egregium humanitatis rudimentum , nostrarumque legum fundamentum , in Vitâ Cn. Julii Agricolæ splendidum cultissimæ virtutis exemplum , ita quoque in Dialogo de Oratoribus haberemus optimum literarum documentum , validissimumque

ingeniorum incitamentum. Ut ut est, manet adhuc
in hoc Dialogo uberrima præceptorum seges,
quibus literæ ad meliora promoteantur. Sic in
uno Tacito reperimus quomodo regantur imperia,
formentur homines, instituantur leges, alantur
virtutes, vigeant literæ. Quæ, cùm sint in vitæ
utilitates voluptatesque fecundissima, si hac nostrâ
opellâ inclaruere, magisque invalescunt, nec nos,
nec posteros laboris nostri pœnitibit. Supremum
id nobis votum.




APPENDIX CHRONOLOGICA.

APPENDIX hæc Chronologica summam, quâ Cornelius Tacitus in scribendâ historiâ usus est, artem reteget. Tristia enim & sœva tempora cursaturus, ita totius ævi Romani molem complexus est, ut assiduâ temporum, rerum, hominum, evenuumque comparatione, & ab historiâ tandem amoverit, & legentium animos ad scelerum odia, studia virtutis, atque eximiam in adversis ac secundis rebus prudentiam erexerit. Multos quoque juvabit nosse, quomodo Tacitus præcipuas variasque populi Romani res spectaverit. Potuissem equidem altius veterem memoriam repetere, & quæ de Mose, Bocchori, Rhamse, Cyro, aliisque populorum antiquitatibus memorat, colligere. At hæc disjecta nimis, jamque innotescunt, nec in tantas patent utilitates. Sit ergo satis Romana tantum

tempora relegere, eaque in brevi quasi tabella representare, usque ad Augusti finem, quo plenior fluit Annalium & Historiarum narratio.





APPENDIX CHRONOLOGICA.

ANNUS URBIS CONDITÆ I.

Ante Christum 753.

ROMULUS Urbis Romæ conditor. Tacit.
Annal. IV, 9.

Pomerium Urbis a Romulo positum. Annal.
XII, 24.

Urbem Romam a principio reges habuere.
Annal. I, 1.

Romulus, ut libitum, imperitat. Annal. III, 26.

ANNUS U.C. II. *Ante Christum 752.*

Romulus patres legit. Eæ patriciorum familiæ,
dictæ postea majorum gentium. Annal. XI, 25.

ANNUS U.C. VI. *Ante Christum 748.*

Ædēm Statoris Jovis voyet Romulus. Annal.
XV, 41.

ANNUS U.C. VII. *Ante Christum 747.*

Capitolium a T. Tatio Urbi additum. Annal.
XII, 24.

Tatus, retinendis Sabinorum sacris, sodales
Tatios instituit. Annal. I, 54. Hist. II, 95.

ANNUS U.C. XVI. *Ante Christum 738.*

Romulus tantum sapientiâ valet , ut plerosque populos eodem die hostes , dein cives habeat. Annal. XI , 24.

ANNUS U.C. XXXIX. *Ante Christum 715.*

Quirinus deûm numero additus. Annal. IV , 38.

ANNUS U.C. XL. *Ante Christum 714.*

Numa religionibus & divino jure populum devincit. Annal. III , 26.

Numæ regia. Annal. XV , 41.

ANNUS U.C. LXXXV. *Ante Christum 669.*

Sacra piaculaque ex legibus Tulli regis instituta. Annal. XII , 8. III , 26.

ANNUS U.C. CXV. *Ante Christum 639.*

Reperta quædam ab Anco divini juris. Annal. III , 26.

ANNUS U.C. CXL. *Ante Christum 614.*

Equorum certamina a Thuriis accita. Annal. XIV , 21.

ANNUS U.C. CXLI. *Ante Christum 613.*

Capitolium votet Tarquinius Priscus rex , bello Sabino ; jacitque fundamenta , spe magis futuræ magnitudinis , quàm quò modicæ adhuc populi Romani res sufficerent. Hist. III , 72.

ANNUS U.C. CLXXVII. *Ante Christum 577.*

Servius Tullius sanctor præcipuus legum fuit , quis etiam reges obtemperarent. Annal. III , 26.

Templum Lunæ a Servio Tullio sacratum. Annal. XV , 41.

ANNUS U.C. CLXXXIII. *Ante Christum* 571.

Servius Tullius, sociorum studio, Capitolium exstruere adgreditur. Hist. III, 72.

ANNUS U.C. CCXXV. *Ante Christum* 529.

Tarquinius Superbus, captâ Suessâ Pometiâ, Capitolium exstruit: haud perfecit. Sed gloria operis libertati reservata. Hist. III, 72.

ANNUS U.C. CCXLIV. *Ante Christum* 510.

Tarquinii exacti. Annal. XI, 22.

ANNUS U.C. CCXLV. *Ante Christum* 509.

Libertatem & consulatum L. Brutus instituit. Annal. I, 1.

Brutus patrum numerum supplet. Ex familiæ minorum gentium appellatæ. Annal. XI, 25.

ANNUS U.C. CCXLVII. *Ante Christum* 507.

Horatius Pulvillus, iterum consul, Capitolium dedicat, eâ magnificentiâ, quam immensæ postea populi Romani opes ornarent potius, quam augerent. Hist. III, 72.

Urbs Porsenæ dedita, Tuscisque dati obsides. Hist. III, 72. Annal. XI, 24.

ANNUS U.C. CCL. *Ante Christum* 504.

Attus Clausus, origine Sabinâ, gentis Claudiæ auctor. Annal. IV, 9. XI, 24.

Patricii Claudii ab Atto Claudio continui dura-
vere sine ullâ adoptione, usque ad Domitium a
Claudio, Principe, adoptatum. Annal. XII, 25.

ANNUS U.C. CCLVI. *Ante Christum* 498.

Dictaturæ ad tempus sumptæ. Annal. I, 1.

ANNUS U.C. CCLVIII. *Ante Christum 496.*

A. Postumius, dictator, Libero Liberæque & Cereti ædem juxta Circum maximum votet. Annal. II, 49.

ANNUS U.C. CCLXXVII. *Ante Christ. 477.*

Cremerensis clades. Hist. II, 91.

ANNUS U.C. CCC. *Ante Christum 454.*

Adversis patrum factiones multa populus parat, tuendæ libertatis & firmandæ concordiæ causâ. Accita quæ usquam legum egregia. Annal. III, 27.

ANNUS U.C. CCCIII. *Ante Christum 451.*

Creati decemviri, & compositæ duodecim tabulæ, finis æqui juris. Annal. III, 27.

Vetus Urbi fenebre malum, & seditionum discordiarumque creberima causa. Duodecim tabulis sanctum, ne quis unciario fenore amplius exerceret; cum antea ex libidine locupletium agatur. Annal. VI, 16.

Decemviralis potestas haud ultra biennium. Annal. I, 1.

ANNUS U.C. CCCVII. *Ante Christum 447.*

Quæstores creati Valerius Potitus & Æmilius Mamercus, ut rem militarem comitarentur. Annal. XI, 22.

ANNUS U.C. CCCX. *Ante Christum 444.*

Tribunorum militum consulare jus non diu valuit. Annal. I, 1.

ANNUS U.C. CCCLXIV. *Ante Christum 390.*

Alliensis clades. Hist. II, 91.

Capta a Gallis Roma. Annal. XI, 24.

XIV. Kalendas Sextiles captam Urbem Senones inflammant. Annal. XV, 41.

Post Gallica incendia, Urbs nullâ distinctione passim erecta. Annal. XV, 43.

ANNUS U. C. CCCXC. *Ante Christum* 364.

Histriones a Tuscis acciti. Annal. XIV, 21.

ANNUS U. C. CDVII. *Ante Christum* 347.

Unciarium fenus, rogatione tribuniciâ, ad semuncias redactum. Annal. VI, 16.

ANNUS U. C. CDXII. *Ante Christum* 342.

Vetita versura. Annal. VI, 16.

Pòst multis plebis scitis obviâm itum feneratorum fraudibus. Sed toties repressæ, miras per artes rursum oriebantur. Annal. VI, 16.

ANNUS U. C. CDXXIII. *Ante Christum* 331.

Arbela, castellum insigne famâ; quòd postremo inter Darium atque Alexandrum prœlio Persarum illic opes concidere. Annal. XII, 13.

ANNUS U. C. CDXXX. *Ante Christum* 324.

Mors Alexandri Magni. *Eius virtutum fatorumque cum Germanici virtutibus fatisque comparatio.* Annal. II, 73.

ANNUS U. C. CDXXXIII. *Ante Christ. 321.*

Caudina clades. Annal. XV, 13.

Samnitium jugum subeunt Romani. Annal. XI, 24.

ANNUS U. C. CDLXXVI. *Ante Christ. 278.*

Fabricius consul senatusque Romanus venenum in Pyrrhum regem vetant produntque. Annal. II, 88.

ANNUS U. C. CDLXXXV. *Ante Christum 269.*

Duplicatus quæstorum numerus , stipendiariâ jam Italiâ , & accedentibus provinciarum vesticgalibus. Annal. XI , 22.

ANNUS U. C. CDXC. *Ante Christum 264.*

Primum bellum Punicum. Spei ædem hoc belligovet Atilius. Annal. II , 49.

ANNUS U.C. CDXCIV. *Ante Christum 260.*

Jani templum apud forum olitorium a **C. Duillio** structum , qui primus rem Romanam prospere mari gessit , triumphumque navalem de Pœnis meruit. Annal. II , 49.

ANNUS U. C. DXII. *Ante Christum 242.*

Aulum Postumium , consulem , sed flaminem Dialem , in Siciliam ad classem proficiscentem , ad sacra retinet **L. Metellus** pontifex maximus. Annal. III , 71.

ANNUS U.C. DXXXVI. *Ante Christum 218.*

Secundum bellum Punicum. Hannibal in Italiam ingruit. Annal. III , 34.

Cremona condita. Hist. III , 34.

ANNUS U.C. DXLI. *Ante Christum 213.*

Oppiæ leges , quîs constricta feminarum licentia. Annal. III , 33.

Bellum Macedonum. Icta cum Romanis Lydorum fœdera. Annal. IV , 55.

ANNUS U.C. DL. *Ante Christum 204.*

Lex Cincia , quâ cavetur ne quis ob causam orandam pecuniam donumve accipiat. Annal. XI , 5. & XV , 20.

Marcus Lepidus Ptolemaei liberis tutor in Aegyptum missus. Annal. II, 67.

ANNUS U.C. DLIII. *Ante Christum* 201.

Syphacem P. Scipio triumphans populo Romano ostendit. Annal. XII, 38.

ANNUS U.C. DLIX. *Ante Christum* 195.

Smyrnae, primi omnium, templum urbis Romae statuunt: magnis quidem jam Romani imperii rebus, nondum tamen ad summum elatis, stante adhuc Punicâ urbe, & validis per Asiam regibus. Annal. IV, 56.

ANNUS U.C. DLXII. *Ante Christum* 192.

Bellum Syriacum. Byzantii copias mittunt in Antiochum. Annal. XII, 62.

ANNUS U.C. DLXIV. *Ante Christum* 190.

L. Scipio, pulso Antiocho, fidem atque virtutem Magnetum decorat. Annal. III, 62.

ANNUS U.C. DLXXXIII. *Ante Christ.* 171.

Bellum Persei, Macedonum regis. Quo in bello studia urbium Asiæ in populum Romanum. Annal. IV, 55.

Byzantii copias mittunt in regem Persen. Annal. XII, 62.

ANNUS U.C. DLXXXVII. *Ante Christ.* 167.

L. Paulus Æmilius triumphat, ducto ante currum Perse Macedonum rege. Annal. XII, 38.

ANNUS U.C. DCIV. *Ante Christum* 150.

Servius Galba a Catone censorio accusatus. Annal. III, 66.

ANNUS U.C. DCV. *Ante Christum* 149.

Magistratum avaritia parit Calpurnia scita de repetundis. Annal. XV, 20.

Tertium bellum Punicum. P. Scipio, quamvis flagrante adhuc Pœnorum bello, apud Siciliam Romanum militare inque cultum exuit, ut exterorum morum æmulatione animos devinciat. Annal. II, 59.

ANNUS U.C. DCVI. *Ante Christum* 148.

Byzantiorum ictum cum Romanis fœdus, quâ tempestate bellatum adversus regem Macedonum, cui, ut degeneri, Pseudophilippi vocabulum impositum Annal. XII, 62.

ANNUS U.C. DCVIII. *Ante Christum* 146.

Possessà Achaiâ Asiâque, Iudi curatiùs Romæ editi. Annal. XIV, 21.

L. Mummius primus Græci certaminis spectaculum in Urbe præbet. Annal. XIV, 21.

ANNUS U.C. DCX. *Ante Christum* 144.

Aqua Marcia ad Urbem deducta. Annal. XIV, 22.

ANNUS U.C. DCXVII. *Ante Christum* 137.

Numantina clades. Annal. XV, 13.

ANNUS U.C. DCXXII. *Ante Christum* 133.

Diffensione ordinum, & apiscendi illicitos honores, aut pellendi claros viros, aliaque ob prava latæ leges. Annal. III, 27.

Tiberius Gracchus turbator plebis. Ann. III, 27.

Discordiæ consulum apud tribunos, agrariæ frumentariæque leges, plebis & optimatium certamina, Annal. IV, 32.

L. Cotta a Scipione Africano accusatus. Annal. III, 66.

ANNUS U.C. DCXXIII. *Ante Christum 131.*

Bellum Aristonici. Byzantii copias mittunt in Aristonicum. Annal. IV, 55. & XII, 62.

Ubi subacto orbe, & æmulis urbibus regibusve excisis, securas opes concupiscere vacuum fuit, prima inter patres plebemque certamina exarsere. Modò turbulenti tribuni, modò consules prævalidi, & in Urbe ac foro tentamenta civilium bellorum. Hist. II, 38.

ANNUS U.C. DCXXXII. *Ante Christum 122.*

Semproniis rogationibus equester ordo in possessione judiciorum locatur. Annal. XII, 60.

C. Gracchus turbator plebis. Annal. III, 27.

ANNUS U.C. DCXLII. *Ante Christum 113.*

Cimbrorum arma primùm audita sunt, Cæcilio Metello ac Papirio Carbone consulibus. De Mor. German. cap. 37.

Papirius Carbo consul a Germanis fusus. ibid.

ANNUS U.C. DCXLV. *Ante Christum 109.*

P.Rutilius a M. Scauro accusatus. Annal. III, 66.

Rutilius & Scaurus suam ipsi vitam postea narrare, fiduciam potius morum, quam arrogantium arbitrati. Vit. Agric. cap. 1.

ANNUS U.C. DCXLVI. *Ante Christum 108.*

Aurelius Scaurus a Germanis captus. De Mor. German. cap. 37.

ANNUS U.C. DCXLVII. *Ante Christum 107.*

Cassius a Germanis victus cæsusque. De Mor. German. cap. 37.

ANNUS U. C. DCXLVIII. *Ante Christ. 106.*

Serviliæ leges senatui judicia reddunt. Annal. XII, 60.

ANNUS U. C. DCXLIX. *Ante Christ. 105.*

Servilius Cæpio & Cn Manlius a Germanis fusi. De Mor. German. cap. 37.

ANNUS U. C. DCLII. *Ante Christum 102.*

Piraticum bellum. Annal. XII, 62.

Hoc bello a Byzantiis adjutus Antonius. Annal. XII, 62.

ANNUS U. C. DCLIII. *Ante Christum 101.*

Germani a C. Mario in Italiâ vici: at non impunè. De Mor. German. cap. 37.

ANNUS U. C. DCLIV. *Ante Christum 100.*

Saturninus turbator plebis. Annal. III, 27.

ANNUS U. C. DCLVIII. *Ante Christum 96.*

Ptolemæus, Cyrenarum rex, cui cognomentum Apionis fuit, agros populo Romano cum regno relinquit. Annal. XIV, 18.

ANNUS U. C. DCLX. *Ante Christum 94.*

P. Rutilium, legibus pulsum, civem sibi Smyrnæ addidere. Annal. IV, 43.

ANNUS U. C. DCLXII. *Ante Christum 92.*

L. Crasso & Domitio censoribus, rhetores cludere ludum impudentiæ jussi sunt. Dialog. de Orat. cap. 35.

ANNUS U. C. DCLXIII. *Ante Christum 91.*

Turbator plebis, nec minor largitor, nomine

Senatus, Drusus: corrupti spe, aut illusi per intercessionem socii. Inde bellum Italicum. Annal. III, 27.

ANNUS U. C. DCLXVI. *Ante Christum* 88.

Mithridaticum bellum. Athenienses socii sunt Mithridatis adversus Sullam. Annal. II, 55.

Jussu regis Mithridatis apud cunctas Asiae insulas & urbes trucidantur Romani. Annal. IV, 14.

Coi, fidem suam tum testati, cives Romanos templo Æsculapii induxere. Annal. IV, 14.

Multa eorumdem in populum Romanum merita, sociæque victoriæ. Annal. XII, 61.

Gravissimo in discrimine exercitūs, ob asperitatem hiemis & penuriam vestis, cùm id Smyrnam in concionem nuntiatum foret, omnes, qui adstabant, detraxere corpori tegmina, Romanisque legionibus miserunt. Annal. IV, 56.

Bellum civile. Multæ & diversæ leges. Annal. III, 27.

Marius & Sulla de judiciorum jure præcipue bellant. Annal. XII, 60.

E plebe infimâ C. Marius, & nobilium sævissimus L. Sulla, vietam armis libertatem in dominacionem vertunt. Hist. II, 38.

Cn. Pompeius octavodecimo ætatis anno civilia bella sustinet. Annal. XIII, 6.

Cn. Pompeius Mario Sullâque occultior, non melior. Et numquam postea nisi de principatu quæsitum. Hist. II, 38.

ANNUS U. C. DCLXVII. *Ante Christum* 87.

Haud longa Cinnæ dominatio. Annal. I, 1.

Prælio, quo apud Janiculum adversus Cinnam pugnatum est, Pompeianus miles fratrem suum, dein cognito facinore, seipsum interficit. Tantò acrior apud majores, sicut virtutibus gloria, ita

flagitiis pœnitentia fuit. Hist. III, 51.

Cornelii Merulæ, flaminis Dialis, cædes. Sex & septuaginta annis nemo post eum suffectus. Annal. III, 58.

ANNUS U.C. DCLXX. *Ante Christum* 84.

L. Sulla, pulso Mithridate, fidem atque virtutem Magnetum decorat. Annal. III, 62.

ANNUS U.C. DCLXXI. *Ante Christum* 83.

Ardet Capitolium civili bello, sed fraude privatâ. Annal. VI, 12. & Hist. III, 72.

Arsere & Sibyllini libri. Quæsita Samo, Ilio, Erythris, per Africam etiam ac Siciliam, & Italicas colonias carmina Sibyllæ, una seu plures fuere; datumque sacerdotibus negotium, quantum humanâ ope potuissent, vera discernere. Annal. VI, 12.

Capitolium iisdem rursus vestigiis situm exstruendi curam victor Sulla suscipit. Hist. III, 72.

ANNUS U.C. DCLXXII. *Ante Christum* 82.

L. Sulla dictator, abolitis vel conversis prioribus legibus, plura addit, & tribunorum plebis licentiam tollit. Annal. III, 27.

Lege Sullæ viginti quæstores creati supplendo senatui, cui judicia tradiderat. Annal. XI, 22.

ANNUS U.C. DCLXXIII. *Ante Christum* 81.

Pomerium Urbis a L. Sullâ auctum. Annal. XII, 23.

ANNUS U.C. DCLXXV. *Ante Christum* 79.

Haud longa Sullæ dominatio. Annal. I, 1.

ANNUS U.C. DCLXXVI. *Ante Christum* 78.

Sulla moritur. Hoc solum felicitati ejus nega-

tum, quod Capitolium non dedicaverit. Hist. III, 72.

Lutatius Catulus, consul, Capitolium dedicat; ejusque nomen, inter tanta Cæsarum opera, usque ad Vitellium mansit. Hist. III, 72.

Turbidæ Lepidi rogationes, ut acta mortui Sullæ rescinderentur. Annal. III, 27.

ANNUS U.C. DCLXXX. *Ante Christum 74.*

Sertorii atque Mithridatis ingentibus bellis labat respublica. Annal. III, 73.

ANNUS U.C. DCLXXXI. *Ante Christum 73.*

Cyziceni circumfessi haud minus suâ constantiâ, quam præsidio Luculli, Mithridaten regem pelunt; ideoque libertatem adepti. Annal. IV, 36.

Servile bellum. Spartaco tamen, post multas consularium exercituum clades inultam Italiam urenti, haud datum ut pacto in fidem acciperetur. Annal. III, 83.. & XV, 46.

ANNUS U.C. DCLXXXIV. *Ante Christ. 70.*

Tribunis plebis reddita licentia. Annal. III, 27.

Tum non modò in commune, sed in singulos homines latæ quæstiones; & corruptissimâ republîcâ, multæ leges. Annal. III, 27.

ANNUS U.C. DCLXXXV. *Ante Christum 69.*

L. Lucullus Armeniam penetrat, & itinera aperit. Annal. XV, 27.

Lex Roscia de equitum Romanorum loco apud theatrum. Annal. XV, 32.

ANNUS U.C. DCLXXXVII. *Ante Ch. 67.*

Cn. Pompeio, Piraticum bellum gesturo, multum a populo Romano potestatis datum. Annal. XV, 25.

ANNUS U.C. DCXCI. *Ante Christum 63.*

Romanorum primus Cn. Pompeius Iudeos domuit; templumque jure victoriæ ingressus est. Muri Hierosolymorum diruti; delubrum mansit. Hist. V, 9.

ANNUS U.C. DCXCVI. *Ante Christum 58.*

Germani a Julio Cæsare in Galliâ victi. De Mor. German. cap. 37.

ANNUS U.C. DCXCIX. *Ante Christum 55.*

Primus omnium Romanorum Julius Cæsar, cum exercitu Britanniam ingressus, quamquam prosperâ pugnâ terruerit incolas, ac litore potitus sit: potest videri eam ostendisse posteris, non tradidisse. Vit. Agric. cap. 13.

Cn. Pompeius mansuram theatri sedem ponit; ideoque incusatus a senioribus. Annal. XIV, 20.

Antea subitariis gradibus, & scenâ in tempus structâ, ludos edi solitum. Vetustioribus adhuc temporibus, stans populus ludos spectabat, ne, si consideret, theatro dies totos ignaviâ continuaret. Annal. XIV, 20.

Pompeii Crassique potentia citò in Cæsarem cessura. Annal. I, 1.

ANNUS U.C. DCCI. *Ante Christum 53.*

Crassus a Parthis trucidatus. Annal. II, 2. & de Mor. German. cap. 37.

Cassius debellati exercitûs Romani reliquias servat; ipse postea Parthorum viator. Inde familia Cassia per illas gentes celebrata. Annal. XII, 11.

ANNUS U.C. DCCII. *Ante Christum 52.*

Galli Julium Cæsarem apud Alesiam obsident. Annal. XI, 23.

Victore Cæsare, nullum breviore spatio, quam
adversus Gallos confectum est bellum. Annal.
XI, 24.

Cn. Pompeius, tertium consul, corrigendis
moribus delectus. At gravior remediis, quam
delicta erant, suarumque legum auctor idem ac
subversor. Annal. III, 28.

ANNUS U. C. DCCVI. *Ante Christum 48.*

Pharsalica pugna. Quæ armis tuebatur, armis
amittit Cn. Pompeius. Annal. III, 28.

Pompeii potentia in Cæsarem cedit. Annal. I, 1.

Exin continua per viginti annos discordia: non
mos, non jus: deterrima quæque impune; ac
multa honesta exitio sunt. Annal. III, 28.

ANNUS U. C. DCCVII. *Ante Christum 47.*

Lex dictatoris Cæsaris de modo credendi possi-
dendique intra Italiam. Annal. VI, 16.

Cæsar seditionem exercitūs verbo uno compes-
cit, *Quirites* vocando, qui sacramentum ejus
detrectabant. Annal. I, 42.

ANNUS U. C. DCCVIII. *Ante Christum 46.*

Dictator Cæsar lege Cassiâ patricios sublegit.
Annal. XI, 25.

ANNUS U. C. DCCIX. *Ante Christum 45.*

Consul uno die fuit Caninius Rebilus, C. Cæsare
dictatore, cum belli civilis præmia festinarentur.
Hist. III, 37.

ANNUS U. C. DCCX. *Ante Christum 44.*

Repentina vis dictatorem Cæsarem opprimit,
Hist. III, 68.

Cæsar Octavianus nonodecimo ætatis anno
civilia bella sustinet. Annal. XIII, 6.

Is , adolescens privatus , veteranos cupidine dominandi concitos per largitiones inflammat , exercitum parat , corrumpit consulis legiones , simulat Pompeianarum gratiam partium. Annal. I , 10.

ANNUS U.C. DCCXI. *Ante Christum 45.*

Cæsis Hirtio & Pansâ consulibus , utriusque copias Octavius occupat ; extorquet invito senatu consulatum , armaque , quæ in Antonium accep- perat , contra rempublicam vertit. Annal. I , 10.

Triumviratus : proscriptio civium : divisiones agrorum. Annal. I , 10.

Cicero interficitur. Ab ejus interitu mutata eloquentia. Dialog. de Orat. cap. 24.

ANNUS U.C. DCCXII. *Ante Christum 42.*

Philipensis acies. Bruto & Cassio cæsis , nulla jam publica arma. Annal. I , 2. & III , 76.

ANNUS U.C. DCCXIV. *Ante Christum 40.*

Perusinum bellum. Annal. V , 1.

Brundisinum fœdus. Annal. I , 10.

Stratonicenses Parthorum irruptionem , nihil mutatâ in populum Romanum constantiâ , per- ferunt. Annal. III , 62.

Regnum Judææ ab Antonio Herodî datum: Hist. V , 9.

ANNUS U.C. DCCXV. *Ante Christum 39.*

Pax inter Sex. Pompeium ac triumviros pacta. Annal. V , 1.

Pacorus , Judæâ potitus , a P. Ventidio inter- ficitur ; & Parthi trans Euphraten redacti. Hist. V , 9.

Amisso Pacoro, infra Ventidium dejectus Oriens. De Mor. German. cap. 37.

ANNUS U. C. DCCXVI. *Ante Christum* 38.

Cæsar, cupidine formæ, aufert Tiberio Neroni uxorem Liviam, incertum an invitam: adeò properus, ut ne spatio quidem ad enitendum dato, penatibus suis gravidam induxerit. Annal. V, 1.

Consulti per ludibrium pontifices, an concepto, necdum edito partu, rite nuberet. Annal. I, 10.

ANNUS U. C. DCCXVII. *Ante Christum* 37.

Tarentinum fœdus. Annal. I, 10.

Agrippa Ubiorum gentem, Rheno transgres-
sam, in fidem accipit. Annal. XII, 27.

Experimento fidei super ipsam Rheni ripam collocantur, ut arceant, non ut custodiantur. De Mor. German. cap. 28.

Judæos C. Sosius subigit. Hist. V, 9.

ANNUS U. C. DCCXVIII. *Ante Christum* 36.

Lepidus, postquam socordiâ senuit, specie quoque amicitiæ, legionibus exuitur. Annal. I, 2, 9 & 10.

Cæsar bellis civilibus Cilnium Mæcenatem, equestris ordinis, cunctis apud Romam atque Italiam præponit. Annal. VI, 11.

ANNUS U. C. DCCXIX. *Ante Christum* 35.

Sextus Pompeius, pacis imagine deceptus, apud Siciliam opprimitur. Annal. I, 2 & 10.

ANNUS U. C. DCCXXIII. *Ante Christum* 31.

Aëtiaca victoria. Annal. I, 3.

Cæsar vultu & aspectu Aëtiacas legiones Brun-
disii turbantes exterret. Annal. I, 42.

ANNUS U. C. DCCXXIV. *Ante Christum* 30.

Antonio per libidines pessum dato, eoque in-

terfēto, Cæsar, posito triumviri nomine, cuncta discordiis civilibus fessa, nomine *Principis*, sub imperium accipit. Annal. I, 2 & 9.

Luxus metisæ, a fine Actiaci belli, ad ea arma quis Ser. Galba rerum adeptus est, per annos centum profusis sumptibus exerciti. Annal. III, 55.

Princeps Augustus lege Sæniâ patricios sublegit. Annal. XI, 25.

Mauros Juba rex accipit, donum populi Romanî. Annal. IV, 5.

Phraates, Parthorum rex, cuncta venerantium officia ad Augustum vertit; partemque prolis firmandæ amicitiæ mittit: haud perinde Romanorum metu, quam fidei popularium diffisus. Annal. II, 1.

ANNUS U. C. DCCXXV. *Ante Christum 29.*

Augustus, inter alia dominationis arcana, seponit Ægyptum, vetitis, nisi permisso, ingredi senatoribus aut equitibus Romanis illustribus: ne fame urgeret Italiam, quisquis eam provinciam, claustraque terræ ac maris, quamvis levi præsidio, adversum ingentes exercitus infedisset. Annal. II, 59.

C. Oppius, Cornelius Balbus, Matius, Vedius, aliaque equitum Romanorum, sub Augusto Principe, prævalida nomina. Oppius & Balbus primi Cæsaris opibus potuere conditiones pacis & arbitria belli tractare. Annal. XII, 60.

Statilius Taurus, Marcius Philippus, Corn. Balbus hostiles exuvias, aut exundantes opes, ornatum ad Urbis & posterum gloriam, conferunt. Annal. III, 72.

Augustus sibi atque urbi Romæ templum apud Pergamum sisti non prohibet. Annal. IV, 5.

ANNUS U. C. DCCXXVI. *Ante Christum 28.*

Sexto suo consulatu Cæsar Augustus, potentia

securus, quæ triumviratu jusserrat, abolet; datque jura, quis pace & Principe uteremur. Ann. III, 28.

ANNUS U.C. DCCXXXI. *Ante Christum 23.*

Piso, qui civili bello resurgentes in Africâ partes acerrimo ministerio adversus Cæsarem juverat; mox Brutum & Cassium secutus, concessu reditu, petitione honorum abstinebat, delatum ab Augusto consulatum accipit. Annal. II, 43.

Marcellus, flagrantibus plebis studiis, intra juventam, morte ereptus. Annal. II, 41.

M. Agrippæ Mitylenense secretum. Annal. XIV, 53.

ANNUS U.C. DCCXXXIII. *Ante Christum 21.*

Augustus M. Agrippam generum sumit. Annal. I, 3. & Hist. I, 15.

Ejus filii Caius ac Lucius in familiam Cæsarum postea inducti. Ibid.

ANNUS U.C. DCCXXXIV. *Ante Christum 20.*

Datus rex Armeniis a Cæsare Tigranes, deduc-
tusque in regnum a Tiberio Nerone. Annal. II, 3.

ANNUS U.C. DCCXXXVI. *Ante Christum 18.*

M. Agrippa socius tribuniciæ potestatis deligi-
tur. Annal. III, 56.

ANNUS U.C. DCCXXXVII. *Ante Christ. 17.*

Ludi sacerulares ab Augusto editi. Annal. XI, 11.

ANNUS U.C. DCCXXXVIII. *Ante Christ. 16.*

Lolliana clades. Annal. I, 10.

ANNUS U.C. DCCXLII. *Ante Christum 12.*

M. Agrippa vitâ concessit. Annal. I, 3.

Sulpicius Quirinius, impiger militiæ, & acribus

ministeriis , consulatum , mox expugnatis per Ciliciam Homonadensium castellis , insignia triumphi adeptus. Annal. III , 48.

ANNUS U.C. DCCXLIII. *Ante Christum* 11.

Germani a Druso in suis sedibus perculsi. De Mor. Germ. cap. 37.

ANNUS U.C. DCCXLV. *Ante Christum* 9.

Drusus extinctus magnam suī apud populum Romanum memoriam relinquit : credebatur enim , si rerum potitus foret , libertatem redditurus. Annal. I , 3 & 33.

Is aggerem coercendo Rheno inchoaverat. Annal. XIII , 53.

ANNUS U.C. DCCXLVI. *Ante Christum* 8.

Pomerium Urbis ab Augusto auctum. Annal. XII , 23.

Germani a Tiberio in suis sedibus perculsi , ac sāpe postea fusi. De Mor. Germ. cap. 37.

Mæcenas , Augusti amicitiā p̄cipiūs , moritur. Provectā tamen ætate speciem magis in amicitiā Principis , quām vim tenuit , fato potentiae raro sempiternæ. Annal. III , 30.

Sugambri a Tiberio in ditionem accepti , & in Gallias trajecti. Annal. II , 26 & 39.

ANNUS U.C. DCCXLVII. *Ante Christum* 7.

Tiberii de Germanis triumphus. Annal. I , 4 & 34. II , 26.

Cum Germanis Tiberius , Germanicus , aliqui duces rursum bellavere : multaque invicem damnata. Non Samnis , non Pœni , non Hispaniæ , Galliæ , ne Parthi quidem sāpius admonuere : quippe regno Arsacis acrior est Germanorum libertas. De Mor. Germ. cap. 37.

ANNUS U. C. DCCXLVIII. *Ante Christum 6.*

Jussu Augusti Armeniis impositus rex Artavasdes; post non sine clade Romanâ dejectus. Annal. II, 3.

Defuncto Agrippâ, Augustus Tiberium Neronem potestatis tribuniciæ socium delegit, ne successor in incerto foret. Annal. III, 56.

ANNUS U. C. DCCXLIX. *Ante Christum 5.*

Tiberius, ab uxore suâ Juliâ spretus, Rhodum abscedit; ibique iram, & simulationem, & secretas libidines meditatur. Annal. I, 4 & 53.

ANNUS U. C. DCCL. *Ante Christum 4.*

Post mortem Herodis, Simon quidam in Judæâ regium nomen invadit. Is a Quinctilio Varo, obtinente Syriam, punitus: & gentem coercitam liberi Herodis tripartito rexere. Hist. V, 9.

ANNUS U. C. DCCLII. *Ante Christum 2.*

Caius Cæsar componendæ Armeniæ deligitur. Is Ariobarzanem, origine Medium, ob insignem corporis formam, & præclarum animum, volentibus Armeniis præfecit. Annal. II, 4.

Caio Cæsari obtinenti Armeniam datus rector Sulpicius Quirinius. Annal. III, 48.

Ut valida Augusto in rempublicam fortuna; ita domi improspera fuit. Julia, ejus filia Tiberii-que uxor, ob impudicitiam Pandataria insulâ, mox oppido Reginorum, qui Siculum fretum accolunt, clausa. Annal. I, 53. & III, 24.

Julus Antonius, ob adulterium Juliæ, morte punitus. Annal. IV, 44.

Sempronius Graccus, Juliæ pervicax adulter; amotus Cercinam Africi maris insulam. Annal. I, 53.

ANNUS U. C. DCCLV. *Jesu Christi 2.*

Lucium Cæfarem euntem ad Hispanienses exercitus mors , vel Liviæ dolus , opprimit. Ann. I , 3.

ANNUS U. C. DCCLVII. *J. C. 4.*

Caium Cæfarem reineantem Armeniâ , & vulnera invalidum mors fato propera , vel novercæ Liviæ dolus , abstulit. Annal. I , 3.

Tum in Tiberium cuncta vergere : filius , collega imperii , consors tribuniciæ potestatis adsuntur. Annal. I , 3. Hist. I , 15.

A Tiberio quoque , super propriam stirpem , Germanicus adsumptus. Annal. XII , 25.

ANNUS U. C. DCCLIX. *J. C. 6.*

Maroboduus duodecim legionibus petitus , duce Tiberio : mox conditionibus æquis discessum. Annal. II , 46.

Suevi , rexque Maroboduus pace obstrictus. Annal. II , 26.

Capito Ateius principem in civitate locum studiis civilibus obtinet. Consulatum ei adceleravit Augustus , ut Labeonem Antistium iisdem artibus præcellentem anteiret. Annal. III , 75.

ANNUS U. C. DCCLX. *J. C. 7.*

Livia senem Augustum devinxerat adeò , uti nepotem unicum Agrippam Postumum in insulam Planasiam projiceret. Annal. I , 3.

ANNUS U. C. DCCLXI. *J. C. 8.*

Julia , Augusti neptis , convicta adulterii proicitur in insulam Trimetum , haud procul Apulis litoribus. Annal. IV , 71.

D. Silanus , ejus adulter , amicitiâ Augusti pro-

hibetur ; exsiliūque sibi demonstrari intelligens, fugit. Annal. III, 24.

Augustus, commotus Cassii Severi libidine, quā viros feminasque illustres procacibus scriptis diffamaverat, primus cognitionem de famosis libellis, specie legis majestatis, tractat. Annal. I, 72.

Apud veteres fuit quoque lex majestatis ; sed alia in judicium veniebant. Si quis proditione exercitum, aut plebem seditionibus, denique male gestā republicā majestatem populi Romani minuisset, facta arguebantur, dicta impunē erant. Annal. I, 72.

ANNUS U. C. DCCLXII. J. C. 9.

Augustus legem Papiam Poppæam incitandis cælibum pœnis & augendo ærario sancit. Annal. III, 25.

Bellum Dalmaticum a Tiberio confectum. Ornospades haud inglorius auxiliator, eoque civitate Romanā donatus. Annal. VI, 37.

Variana clades. Tres cum Varo legiones perire. Victor Arminius. Annal. I, 10, 59 & 62; de Mor. German. cap. 37.

ANNUS U. C. DCCLXV. J. C. 12.

Tiberii de Pannoniis ac Dalmatis triumphus. Annal. I, 4 & 34.

Caius, Germanici & Agrippinæ filius, in castris nascitur : eum, in contubernio legionum eductum, militari vocabulo *Caligulam* appellant, quia plerumque ad concilianda vulgi studia eo tegmine pedum induebatur. Annal. I, 41.

ANNUS U. C. DCCLXVI. J. C. 13.

Augustus, cùm Tiberio tribuniciam potestatem a patribus ruisum postularet, quamquam honorâ oratione, quædam de habitu vultuque & institutis

432 APPENDIX CHRONOLOG.

ejus jecerat, quæ velut excusando exprobaret. Inde fama ne Tiberium quidem caritate, aut reipublicæ curâ adscitum: sed quoniam arrogantiam sævitiamque ejus introspexerit, comparatione deterrimâ sibi gloriam quæsivisse. Annal. I, 10.

ANNUS U. C. DCCLXVII. J. C. 14.

Gravescere cœpit valetudo Augusti: & quidam scelus uxoris suspectabant. Tiberius properis matris literis accitur: neque satis compertum, spirantem adhuc Augustum apud urbem Nolam, an exanimem repererit. Excessisse Augustum & rerum potiri Tiberium fama eadem fert. Annal. I, 5.

FINIS TOMI SEXTI.



